BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 B
4 N

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

K
429

C 76
c
17



D.IDDA Comitiſsa Doggenburgi Tute
laris in Fiſchingen miraculis clara.

J. Umbach del. B. Kilian ſculpſ.

VITA
ET
CONFRATERNITAS
S. JDDÆ
COMITISSÆ
TOCKENBURGI

CUM GENEALOGIJS ILLVSTRIS-
SIMORUM COMITUM
DE TOCKENBURG,
ET KIRCHBERG.

ACCESSIT ORIGO MONASTERII
FISCHINGENSIS, ET SERIES
ABBATVM EIVSDEM CAENOBII,

Ex Idiomate Germanico in Latinum traducta
à Quodam Eximio Eiuſdem S. Comitiſſæ
Cultore.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Cum Licentia Superiorum.

CONSTANTIÆ,
TYPIS EPISCOPALIBUS
apud Davidem Haut,
ANNO M. DC. LXXXV.



PERILLUSTRI
AC
GENEROSO DOMINO
D. FIDELI
BARONI DE TURRE,
EQUITI S. MARCI
ILL.mi S.R.I. PRINCIPIS S. GALLI AULÆ PRÆFECTO, EIUSDEM MARESCHALLO HÆREDITARIO, &c.
DOMINO BICHWILÆ, EPPENBERGI, BERGII, WARTEGGII, &c,
Domino Patrono Gratioſo.

INnotuit hactenus, Illuſtriſſima juxta, ac Sanctiſſima Tockenburgi Comitiſſa Idda prope ſolis Germaniæ noſtræ limitibus, dum ejusdem rara ſanctitas vix niſi vernacula phraſi conſcripta ad exteras nationes Germanici Idiomatis ignaras diffluere non potuit. Cùm autem Dei Filius ex ſacerrimo Evangelio ſeriò cautum velit, ne lucerna â ſe tam dignâter accenſa, ſub modio, aut in angulo quopiam deliteſcat, ſed ut in candelabro expoſita

omnibus in S. Eccleſiæ Domo conſtitutis illuceſcat, inceſſit quendam hujus Divæ Cultorem Sancta cogitatio, ut ejusdem vitam admirabilem denuò latinitati donaret, quatenùs luculenta hæc virtutum facula ſicut germanico ſic & latino magis reſplenderet orbi, ac eam lecturi ad herociam imitationem exardeſcerent: incedit enim nobiliſſima hæc Matrona non cum ſimplici tantùm lampade, ſed ſuperaddidit divinum Numen, cervum velut luciferum Ephœbum, qui duodena in cornibus lumina ipſi præferret, per quæ etiam reliquorum Fidelium animi copioſiùs, quàm per duodecim Zodiaci ſigna irradiati ad amorem, ac venerationem tantæ ſanctæ accenderentur. Et certè videtur Deus optimus dilectam ſibi hanc Famulam ſingulari prorſus Providentiæ ſuæ nutu animis Fidelium inſinuare, dum quotquot aliquam ejus notitiam hauſerunt, mox mira devotionis propenſione in eam ferri cernuntur. Iddam noſtram MargarITAM eſſe Evangelicam vel Echo prodit, quam Comes Henricus, quanti eſſet pretij ignorans per ſummum nefas in ima abiecit: quam nos æquiori gemmarum æſtimatori tibi Perilluſtris, ac Generoſe Baro devotè præſentamus maiori cum Reverentia

in validâ gentilitia tuâ Turri excipiendam; ubi tantæ Dominæ honor ſub Imperialibus ſceptris Aquilâ & genuinæ nobilitatis coronâ tutus maneat, quin & per tot ſplendores illuſtrior fiat. Abjecta ab infideli Marito, recipiatur â FIDELE Sanctorum Cultore. Recipiatur Comitiſſa Tocken-BURGI in nobili BURGO, Ejus qui non ſolius dicti comitatûs, ſed & totius Illuſtriſſimi S. R. I. Principatûs D. Galli Curam, & tutelam immortali cum laude ſuſtentat. Verbo: præſentamus Iddam donum tam nobile, quàm quod nobiliſſimum, quo obligationes noſtras erga Perilluſtrem Dominationem Tuam aliqualiter exſolvere conamur; ſit hæc ſancta Comitiſſa Mediatrix, per quam in Generoſæ Dominationis Tuæ favores arctiùs commendemur. Sit denique tutelaris Patrona, cujus interventu Dominatio Tua cum Perilluſtri ſua Domô hîc veram felicitatem, ibi tandem poſt ſera fata Beatitatem nunquam terminandam feliciter aſſequatur: ita vovent

Perilluſtris Dominationis Tuæ

Studioſiſſimi

Prior & Conventus
Fiſchingenſis.

SOLI DEO GLORIA

PRÆFATIO.

NOverit amicus Lector, vitam, ſeu potiùs prodigium vitæ ſanctæ Comitiſſæ Iddæ â varijs antehàc ſcriptoribus literis conſignatam fuiſſe, attamen, quantum mihi quidem conſtat, primum omnium, qui beneficio typi eam poſteritati tranſmiſit, fuiſſe autumo Adm. Reverendum P. Albertum â Bonſtetten Principalis Monaſterij Einſidlenſis meritiſſimum Decanum. Is ad pias preces Rmi Domini Henrici IV. Abbatis Fiſchingenſis Anno Chriſti millcſimo quadringenteſimo octogeſimo primo vitã S. Iddæ ex obſoleto, uti ipſe in præfatione loquitur, Germanico idiomate in latinum traduxit, ſuamq́ illam tranſlationem dicto Rmo Abbati Henrico dedicavit. Subinde ille ipſe pius, ac Religioſus interpres Anno 1456. eundem ſuum latinum libellum rurſus in elegantiorem vernaculam tran-

ſtulit,

ſtulit, & 26. Decembris illum bonæ mentis ac calami ſui partum R.^{mæ} D.^{næ} Annæ Schenckin â Landegg Abbatiſſæ, totiq́ue venerabili Monaſterio Magdenaugienſi pro Xenio inſcripſit, conſecravitq́ue. Centum & quatuor annis poſt hunc auctorem vitam S. Iddæ quaſi de novo reſumpſit, conſcripsitque Venerabilis P. Petrus Caniſius è Societate Ieſu, eamq́ue inſperſis hinc inde mirificis quibusdam annotationibus, & morali doctrinâ amplificavit, pro eo affectu, & tenera pietate, quâ erat Divæ Iddæ addictus Vir eximius: unde in omnem ejus cultum intentus non tantum laboravit, ut in honorem Sanctæ, Confraternitas aliqua erigeretur, verùm etiam ipſe Dux Verbi, & Facti eidem Congregationi, inter primos, nomen ſuum inſcribi curavit.

Porro vitam hujus ipſius Sanctæ recenter quoq; conſcripſit in ſua Helvetia Sancta R.^{dus} P. Henricus Murer Carthuſiæ Ittingenſis Profeſſus. Aliàs ejusdem cum elogio Sanctitatis meminerunt ſanè non pauci, nec vulgaris nominis ſcriptores Guilimannus de rebus Helvet. lib. 1. cap ult. Georgius Stengelius tom. 1. de Iudicijs diu. cap. 22. n. 1. & iterum tom. 2. cap. 36. n. 4. Nicolaus Avancinus in ſuâ Poëſi Dramaticâ part. 4. in lucem editâ Duderſtadij apud Ioannem Weſtenhofen

ſtenhofen

ſtenhofen Anno 1679. Michaël Pexenfelder in ſuo Concionat. Hiſtorico quinquagena 1. hiſtor. 39. Item Breviarium Conſtantienſe 3. Novemb. Speciales inſuper Lectiones II. Nocturni pro feſto S. Iddæ circa annum Domini 1606. Romæ impreſſæ. Optimus Deus laudetur in Sanctis ſuis, & præſentis opuſculi bonum ſemen multiplicet ad gloriam Nominis ſui, & animarum ſalutem. Tu verò Benevole Lector, libello huic fave, & illo fruere.

IESUS ✠ MARIA ✠ IOSEPH

COMPENDIUM VITÆ S. JDDÆ COMITISSÆ TOCKENBURGICÆ.

CAPUT I.

Iddæ Proſapia, prima ætas, & Deſponſatio.

NAta eſt B. Idda ex Illuſtriſſimo ſtemate Comitum de Kirchberg haud procul Ulmâ in Suevia, qui Sanguis, uti vetuſtate generis, ita quoque majorum ſerie fuit nominatiſſimus. Hos inter celebriores erant Otto & Hermannus, Nobile par fratrum, omnis ætatis heroes clariſſimi, qui ſancto quodam amplificandæ Divinæ gloriæ ardore ſuccenſi circa annum 1039. inclytum Monaſterium Wiblingenſe Ord. S. Benedicti collatis opibus fundârunt, ibidémque locum pro ſuo & Poſterorum ſuorum ſepultura delegerunt. Horum pientiſſimorum Comitum alteruter, quantum col-

ligere licet, S. Iddæ parens, aut certè avus fuiſſe perhibetur à Ven. P.Caniſio. Aliàs mihi ex hoc ipſo Monaſterio Wiblingenſi perſcriptum eſt, quòd anno 1170. (novennio ſcilicet ante nuptias B.Iddæ) ibidem religiosè ſanctéq; vixerit F. Wilhelmus Comes Kirchbergenſis Nepos Wilhelmi II. qui dicti Hermanni germanus fuit, & parentis S. Iddæ patruus. quod ſi ita ſe habet, non Otto, vel Hermannus, ſed Wilhelmus II. B.Iddæ avus cenſendus erit. cujus verò nominis genitor B.Iddæ, eiuſq; mater fuerit, hactenus veſtigium ullum, aut lucem ex antiqua hiſtoria habere non potui.

Anno Chriſti 1510. ultimus familiæ ſuæ Kirchbergenſis Comes Philippus diem ſuum obijt, ibidemque more majorum, in Wiblingenſi Cænobio additis Gentilitijs Inſignibus depoſitus, atque ſepultus fuit.

Ut verò ad B.Iddam revertamur, educata ea eſt, uti par erat, nobiliſſimè, ijſdem ſtatim à teneris virtutibus imbuta, quæ filiam tanti ſanguinis non tantùm decere, verùm etiam ornare poterant. Et quia DEO, pro ſua bonitate, ab æterno placuit, eam ad magnum ſanctitatis gradum ſeligere, idcirco in primo ſtatim rationis diluculo & virgine ætate minimè otioſa cœleſtis gratia fuit, cujus impulſu Idda mirificè ad omnem virtutem proveheretur, jacto ſcilicet maturè teneræ pietatis

tis

tis fundamento, cui cum tempore magna Perfectionis fabrica ſuperſtrueretur. Timor DEI (Sapientiæ initium) modeſtia, verecundia, decor virginalis, obedientia futuræ ſanctitatis præludia erant, quibus virtutum exemplis in domo paterna præbitis adeò domeſticos & vicinos rapuit, ut omnibus in amoribus eſſet & delitijs.

Subinde cùm ad nubiles annos perveniſſet, hoc eſt, Anno Chriſti 1179. viſum eſt Illuſtriſſimis parentibus & toti Nobiliſſimæ proſapiæ, tam inſignem, támque à propitia natura donis omnibus corporis & animi ornatam filiam honorabili conjugio elocare. Dignior cæteris Maritus habitus eſt Henricus Comes Tockenburgicus pari ſtirpe & opulentia eâ tempeſtate florens. Huic Idda Chriſtiano ritu deſponſata eſt, accepto in arrham pretioſo annulo ex auro obrizo, & gemma raræ pulchritudinis.

Aliàs antiqua monimenta tradunt, dictum Henricum Comitem cum alijs primæ nobilitatis Heroibus, pro more Gentis Teutonicæ, eodem anno Coloniæ equeſtri Torneamento, ut vocant, ſeu haſtiludio interfuiſſe; unde probabile videri poſſit, ſolemnes nuptias poſt Sponſi reditum fuiſſe celebratas.

:(IHS):

* * *

CAPUT II.

Iddæ Matrimonium & Status Conjugalis.

INter hæc tempus advênit, ut Idda ſponſa ex materno gremio, velut gemma quædam & unio ex conchyli ſuo excerptus, aliò transferretur, & in Henrici manus extraderetur. Arx Tockenburgica, Henrici ſedes, illam expetebat. Tota deductionis pompa magnificè adornata erat. Solvit Sponſa Kirchbergâ, natali domo ſuâ. Venit Tockenburgum, ubi raris lætitiæ ſignis excepta fuit. Nuptijs Chriſtiano ex more celebratis Idda conjux eſſe perrexit, qualis antehàc Virgo erat, hoc eſt, pia, pudica, viri amans & obſervans; unde ad cor ipſius erat, & guſtum, theſaurúmque ſibi inveniſſe videbatur Henricus in muliere bona, eratque ipſi Idda inſtar Cimelij. In hoc ſtatu Deus Iddæ Deus erat & omnia. Majeſtatis Divinæ imago verſabatur ipſi continuò ante oculos, & quicquid agebat, aſpiciebat in auctorem Fidei & Conſummatorem JESUM, eidémque ſerviebat in timore & demiſſione cordis ſui. Comitem maritum diligebat juxta regulas Divinas & ſacras matrimonij leges; eum colebat, obtemperabat, ſequebatur; verbo, talem ei ſe præſtabat, qua-

lem

lem in primo matrimonij ſe promiſerat. Exin ſedit caſtiſſimum hoc matrimonium pluribus annis in pulchritudine pacis, quietis & optatæ tranquillitatis.

Primas obtinebat apud pientiſſimos Comites Religio; nam, tametſi Arx Tockenburgica natura & ſitu edita alto montis ſupercilio inædificata erat, non tamen propterea intermittebant boni conjuges ex alto in vallem deſcendere, ut ſtatis temporibus ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio & verbo Dei intereſſe, ſive in Fiſchingenſi Monaſterio, cui Abbas Cuno tunc præerat, ſive alibi in vicinia, ſacris Myſterijs accumbere poſſent.

Non eſt porro, cur dubitemus de induſtria B. Iddæ noſtræ, quam utique exercuerit domi ſuæ tanquam prudens œconoma & mulier fortis, quæ de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis & cibaria ancillis ſuis, quæ operata conſilio manuum ſuarum quæſivit lanam & linum, manúmque ſuam mittens ad fortia apprehendit fuſum, conſideravit ſemitas domûs ſuæ, & panem otioſa non comedit. Non ſatis erat Illuſtriſſimæ Matronæ, ordini domeſtico attendiſſe, & ſibi ipſi, ut integra ſemper puráque conſcientia Deo ſerviret, ſed propagandi Divini honoris æmula idipſum ſatagebat, ut pietatem non tantùm domi ſuæ inter aulicos, verùm etiam inter ſubditos proferret latiùs, & prolatam aptis fomentis nutriret.

 Si-

Silent monimenta de ullis liberis Comiti Henrico ex ea genitis. imò ſunt nonnulli, qui exiſtiment, ſingulari & ſuavi Numinis providentiâ, quæ in mirabili ſui diſpoſitione non fallitur, id accidiſſe, ut ſterilis relinqueretur, ne cum tempore in ſublimi Perfectionis ſtudio & optima Mariæ parte, ad quam erat à Deo reſervata, liberorum curâ, quæ plerumque matribus nimia eſt, fortè præpediretur. Vero ſimile etiam videtur, optimum Deum, melioris ſortis & altioris ordinis Sobolem famulæ ſuæ deſtinâſſe, filios ſcilicet ſublimis adoptionis, & filios non uteri, ſed ſpiritus, qui Beatæ Matronæ non tantùm in dicata honori ejus fraternitate ſervituri, ſed paſſim ut Matrem & Patronam invocaturi erant. Unde in hæc uſque tempora uſitato jam & recepto paſſim vocabulo dilecta & chariſſima Mater Idda compellari ſolet.

CAPUT III.

Periculum Iddæ ex jactura annuli Nuptialis.

AUla Tockeburgica eâ tempeſtate meritò comparari poterat navi cuidam opulentiſſimæ, quæ flante propitio Favonio aurigantis Cæleſtis gratiæ, clementiſſima temperie propellebatur. At verò hæc ipſa felicitas

(uti nihil humanum durabile eſt) brevi finem ſuum accepit; quippe concordia illa & ſerenitas tam diu ſuda repente in atrocem tempeſtatem, amor conjugalis in fatale odium verſus eſt, infauſto Zelotypiæ malo interveniente, quæ domeſtica peſtis tot jam aliàs fauſta connubia penitùs evertit, res eó, quo narro, modo accidit.

Erant Comitiſſæ Iddæ, pro amplitudine florentis fortunæ, pretioſæ veſtes, cimelia & muliebris mundus ex auro & gemmis, quo tamen illa non ad luxum, aut formæ illicium, ſed pro decentia ſtatûs modeſtè & ſobriè uti ſolebat: nam ſub inſigni veſtium ſplendore humilem ea animum abſcondebat, & procul à cupiditate ſæculi & deſiderio opum erat. Ne ergo pretioſa illa veſtium materia domi incluſa cum tempore vitium ex longo ſitu pateretur à tineis, curavit gnava & ſedula materfamilias, ut libero aëri ac ſoli exponerentur ea pretioſa cimelia, inter quæ etiam annulus nuptialis erat lucidâ gemma inoculatus. Hæc occaſio fuit turbati pacifici & ſancti matrimonij: nam, ecce tibi, dum incuſtodita ea gaza procul omni arbitro ad ſolem in patente aëre proſtat, ex vicino nemore & ſenticeto, quo mons undique cingebatur, infauſti coloris ales tenebrio corvus adeſt, & curioſiùs pro more harum immundarum volucrum arci obvolitat, viſurus, ſi quid ſuum faciat. & ſe-

 cum

cum ferat. Nec defuit materia: fulgore namque pretioſarum veſtium & cimeliorum illectus invênit principiò, quo oculos paſceret, mox etiam cleperet. Præ omnibus placuit pennato huic furi annulus ille nuptialis, ſive Dæmonis impulſu, ſive innata quadam ad aurum rapacitate. Itaque in locum ſe demittit prædo, & roſtro ſuo ad furtum uſus aureum illum annulum dexterrimè legit, tollit, avolat, ad ſilvam in nidum ſuum aſportat pretioſum ſpolium. Reverſa ſubinde die in veſperum inclinante ad locum Idda, ut pretioſam ſupellectilem referret, notat, deeſſe nuptialem annulum. Ea res non mediocrem ipſi ſolicitudinem incuſſit: neque enim, ſalvis omnibus cæteris, animo ipſius occurrebat, quò annulus deveniſſet, multò minùs modus ejuſdem recuperandi, poſt multam licèt & accuratam rei tam charæ inveſtigationem. Augeſcebat malum exinde, quòd annuli ſui amiſſionem & jacturam neq; honorariæ alicui ancillæ, neque marito ipſi concredere & indicare auderet, ex metu fortè grandium incommodorum, ſuſpicionum, & faſtidiorum, quæ aularum quotidianæ turbæ & mala eſſe ſolent quaſi congenita. Optimum Iddæ conſilium viſum eſt, rem totam fido ſilentio involvere, bono Deo jacturam committere, & rei exitum de manu illius cum patientia operiri.

C A-

CAPUT IV.

Raptus à Corvo Nuptialis Annulus à Venatore inventus.

DUm Beata Matrona interim recurrente continuò male præſago metu futurorum coquitur, accidit fortè, ut venator tempeſtate quadam amore prædæ in ſilvam exiret, in progreſſu, ut fit, audit neſcio quam vocem quaſi crocitantium Corvorum. Ejus ſoni veſtigia ſecutus, dum hinc inde oculis omnia circum examinat, videt demum in ſublimi pinu nidum quendam majorum volucrum. ejus potiundi ſpe illectus haud multùm cunctatus conſcendit arborem, ſecúmque non modò pullos, verùm etiam totum ex loco ſublimi nidum tollit. Eum humi latiùs explicatum dum curioſiùs luſtrat & penitùs excutit, inter alia aureum annulum reperit, quo ille opimo ſpolio lætus vix ſe ipſum præ gaudio capere poterat, omnem cum hoc annulo felicitatem inveniſſe ratus, cùm tamen re ipsâ nil niſi mortem in hac inſidioſa fortunæ eſca repererit. Neſcius bonus homo, cujus hic annulus eſſet, digito illum ſuo inſeruit. Sed malè: nam non ſemper expedit eſſe nimis ſimplicem, in aulis præſertim, ubi cautum eſſe oportet. Debuiſſet utique do-

mum reverſus venator ſolicitè indagare & de fortuna ſua Dominum arcis monere, aut Dominam, num fortè caſu aliquo ea res pretioſa ipſis aut alijs furto ſublecta fuiſſet. At nihil minùs fecit homo incurius; quin imò palàm ac publicè conſpicuum & fulgurantem annulum in digitis ſuis deportare non erubuit, eundem ſtudiosè contemplari, eo gloriari quaſi ſuo perrexit. Et quamvis uni alterique familiari ſuo ſecretum communicaverit, quòd annulum in corvino nido invenerit, à potiori tamen & vulgo cæteros latebat arcanum, quorum tamen id ſcire vel maximè intererat. Ex ſtolido hoc planè ſilentio fiebat, ut varij primò ſermones, tum ſuſpiciones, uti fit, inter domeſticos, qui annulum in digitis ejus radiare conſpexerant, gliſcere inciperent, paulò pòſt etiam invidia rei tam inſolitæ ſuccederet. Mirabantur omnes, unde hoc venatori donum tam magnificum & exquiſitum, unde vili homini tam pretioſus annulus, unde hic faſtus & tumidi adeò ſpiritus. Sed neque amicè monitus ab hac ſui portandi annuli præfidentia deſiſtebat venator. Utinam caviſſet protervus homo: nam ſuperbia in ſordido capite diuturna eſſe non poteſt, multò minùs felix & proſpera, quod grandi malo ſuo miſer venator didicit, cujus rei ſeriem ſequenti narratione evolvo.

CAPUT V.

Annulus Nuptialis in digito venatoris agnitus. Secuta exinde miſeri hominis tragica mors.

INter hæc Avernalis incentor omnis mali, & accuſator fratrum Diabolus in hoc theatro bellè partes ſuas egit, & dexterrimè halitu ſuo uſus parvam initiò ſcintillam in magnum incendium animavit, ita quidem, ut in duplex homicidium atrox flamma eruperit. Hanc fabam ut artificiosè cuderet nequam Spiritus, uſus eſt familiari inſtrumento, famulo quodam domeſtico, qui Comiti à cubiculis erat, & neſcio qua de cauſa Comitiſſam oderat. Hic, uti erat ſimulator non mediocris, ſparſis hinc inde ſermonibus de annulo edoctus, venatorem accedit, perhumaniter hominem rogat, copiam ut ſibi videndi pretioſi annuli faciat. Facilè roganti cubiculario venator, homo ſimplex & rectus, morem geſſit, nihílque fraudis veritus annulum curioſo Spectatori videndum exhibuit, neſcius, quàm tragicam paulò poſt mercedem inde recepturus eſſet. Cubicularius homo ſagax & oculatus facilè primo intuitu agnovit, annulum hunc eſſe nuptialem, illúmque ipſum, quo Henricus Comes ſibi Id-

dam

dam deſponſaverat. Tum enimverò homini invido & inquieto bullire in vindictam ſanguis, exilire animus ad magnam texendam tragœdiam: favebat quippe præſens ſufflaminatori occaſio, quâ ille tempeſtivè utendum ratus, Henricum Comitem accedit, & facta officioſa corporis inclinatione, mæſto vultu ac geſtu loquens, tandem poſt ductam ſtudio moram in hæc verba prorumpit: pace tua, Illuſtriſſime Domine, mihi hic & nunc, quemadmodum ſpero, licebit, ut, neſcio quam animi mei ſpinam in propitias aures tuas exonerem, & magnum quoddam ſecretum ad te deferam. Ex una parte neceſſitas me urget, ex altera reverentia tua & facti ipſius atrocitas me abſterret: quid ergo agam, etiamnum neſcio: nam in adverſis optimum remedium ſilentium eſt. His dictis, quaſi in orationis filo pergere nequiret, ſimulavit ſe languidum verſipellis artifex. Quod ubi Henricus vidit, ſecurè & imperterritè ipſum proloqui juſſit. Tum Cubicularius in hunc modum cœptam orationem pertexuit: O quàm vereor, inquiebat, Illuſtriſſime Comes, quàm vereor, ne omnia circa Illuſtriſſimam Conjugem tuam & venatorem, quem habes, caſta & pudica ſint. Quàm vereor thalamo tuo & ſancto Conjugij fœderi, nè benè procedant & ſalva ſint: Adſunt in propatulo ſigna minimè dubij amoris inter utrumque; illa lo-

quan-

quantur, non ego: loquatur annulus nuptialis apertus veritatis præco, teſtis omni exceptione major, annulus, inquam, ille, quo tibi chariſſimam Conjugem tuam ipſo Nuptiali feſto deſponsâſti: hunc annulum homo ille leviſſimus & ſortis infimæ publicè in digito ſuo circumferre, alijs oſtentare non horret, non erubeſcit, imò ſe putat aliquem. Hæſitavit ad inſperatum ſermonem Henricus Comes, ceu attonitus; cùm nihil unquam de integra fide lectiſſimæ Conjugis ſuæ dubitâſſet, propter eximiam, quam in omni vita præ ſe ferebat, morum ſanctitatem. Subinde ex metu & admiratione ſe colligens, Bonus Deus, inquiebat, hoc malum caveat, ut anulus meus meliore loco collocatus & cuſtoditus ſit, quàm ut in digitis tam vilis homuncionis & ſtabularij luceat; abſit, ut tantum facinus de Conjuge mea ſuſpicer. Hæc ille.

Ubi verò cunctabundum in habenda fide Henricum Comitem conſpicatus eſt malevolus, tum enimverò propinquiorem ſulphuri flammam adhibere ſtatuit, dixitque: Ea eſt, Illuſtriſſime Domine, magnorum ſcelerum natura, ut faciliùs perpetrentur, quàm credantur, quare ut reum ipſum Illuſtriſſima Dominatio veſtra in flagranti deprehendat, & me veriſſima loqui facto ipſo intelligat, imperet mihi, quæſo, hoc ipſo temporis puncto,

cto, ut actutum, de quo loquor, venatorem accerſam.

Annuit Comes, ſimul ac Cubicularius venatorem ad Comitem evocat. Mira interim tempeſtas in mente Henrici detonabat. Poſtliminiò adeſt ad Comitem accerſitus venator, uti nullius mali ſibi conſcius, ita & intrepidus. Vix autem in conſpectum Domini ſui venit miſer homo; cùm vaferrimus ille ſuſurro manum ejus inſpectante Comite apprehendit, annulum in digito commonſtrat, commonſtratum digito exſoluit, eximit, exemptum Henrico porrigit, cum dicto: hic hic, non alius annulus verborum meorum & veritatis teſtis eſto, deprehendet, ni fallor, Illuſtriſſima Dominatio veſtra, hunc annulum eſſe illum ipſum, hanc gemmam, quâ Conjugem ſibi Illuſtriſſimam copulavit. Examinetur aurum, inſpiciatur lapis, ſuamet pretioſa luce, ſuomet igne & radijs ſe prodet, non eſſe peregrinum, non degenerem aut ſuppoſitum. Neque alium Comes, re benè expenſâ, verſatóque in omnes partes annulo, expertus eſt. Tum verò impotentis iræ rabies exarſit in Zelotypo. ſcintillabant Henrico oculi, pallebat vultus, tremebant manus, totus homo in diverſa mutatus furebat. Facilè agnovit miſer venator, quid ſibi hæc vellent, ac de capite ſuo agi videns, hoc unum optabat, ut pro ſe, próque ſua innocen-

tia loqui Henrico poſſet, qua ratione ſcilicet annulum in nido corvorum inveniſſet; quàm procul à macula ipſe eſſet, aut violati thori ſuſpicione. At furor non tantùm ſævus, ſed & ſurdus eſſe ſolet: Henricus enim hominem durè increpitum, cõtumeliosè acceptum, ceu adulterum & thalami ſui violatorem abs ſe rejecit, ac inauditum & necquicquam obteſtantem nullâ ſervatâ juris formâ, præcipitatâ mortis ſentẽtiâ effrænati equi caudæ alligari juſsit. Ivit cum miſero effrænis calcitro per dumos & vepres, quò ipſum impetus ferebat, ſurſum, deorſum, per ſaxa & ſcopulos, donec mille offendiculis laceratus & diſcerptus, quaſſatus & contritus crudeli tormento immortuus fuit. Faxit Deus, ut innocens hic reus iniquiſſimum hoc ſupplicium æquo animo & victrice patientia exantlaverit. Quod ſi egit, procul dubio immanem illam pœnam ſibi vertit in gloriam.

Hæc tragœdia eo tumultu & ſtrepitu acta eſt, ut controverſia eſſe non poſſit, quin ad aures pientiſſimæ Comitiſſæ pervenerit, animúmque illius ingenti horrore perculerit. Nihilominus quia ſecum ut plurimùm habitare ſolebat innocens matrona, conclavi ſuo non prodijt, ſed intra parietes exſpectare conſtituit, dum ab idoneo teſte cauſam tam inſoliti tumulus intelligeret.

CAPUT VI.

Idda innocens ab Henrico Conjuge ſublimi ex arce Tockenburgica in ſubjectam voraginem præcipitata, à Deo Innocentiæ patrono incolumis ſervata.

IRa ſemel inflammata modum non habet, nec facilè una victimâ placari ſe ſinit. Id maximè in Henrico patuit, cujus animum ubi Stygius Tyrannus ex toto ſemel occupavit, requiem Zelotypo marito antè non dedit, quàm in innocentem etiam Conjugem ſæviret. Tota Familia corpore & omnibus artubus contremiſcebat, nemo erat, qui furenti Leoni auderet reſiſtere, aut iram ejus excuſatione mitigare. Pleno itaque æſtu etiamnum flagrans Comes in gynæceum ſe penetrat, fores effringit, & fulminis inſtar conclavi illabitur, ubi Idda cum honorarijs ſuis Muſis aliquid laboris actitabat.

Sed en hîc alteram tragœdiam. Apparebat ſatis ex vultu, ſanguine & bile undique ſuffuſo, ad quid veniſſet præceps maritus. Nihil tamen inexpertum omiſit modeſtiſſima Idda, ut furioſum & rabidum Conjugem quà dulci ſermone, & ſupplice geſtu leniret, ſed ſucceſſu irrito, ac prorſus nullo: Comes namque, ut erat ardens, primò aſperis in eam

ver-

verbis invehitur, & túne, inquit, es illa propudioſa adultera, & thori mei macula? itáne benè de te meritus ſum, ut hominem infimum & ſordidum de rure & ſilva in thalamum meum induceres, fidem mihi marito tuo frangeres perfida? itánetibi vilis ſum, ut mancipium mihi præferas? Quid in hoc rerum articulo innocens Idda ageret? dolebat integerrimæ matronæ tam dira criminis exprobratio & adulterij turpiſſima inſimulatio, quam à ſe verbis longè efficaciſſimis amoliri ſatagebat. At verò inſanus furor omnem non ſolùm loquendi copiam innocenti negavit, verùm etiam ſupplicem & genibus nixam à ſe amovit.

Rogabat pia matrona ſublatis identidem in Cælum manibus, ut ſpatium tantiſper iræ ſuæ daret, ut ante ſententiam partem quoque audiret alteram, ut excuſationem admitteret, ut per breve tempus conquieſceret, dum primus calor ſubſediſſet: effecit nihil. Quare, rem intus agente Diabolo, novo furoris æſtro percitus Henricus, uti erat validus & lacertoſus, Iddam conjugem ad feneſtram propellit; tum mediam arripit, arreptámque quanto poteſt impetu, per feneſtram arcis in ſubjectam voraginem eijcit. Perijſſet immani præcipitio innocens Matrona, niſi providentia DEI, qui ſuos non deſerit, labenti potentem manum ſuppoſuiſſet, ut molliùs caderet, aut penderet in aëre, adfuit cadenti

Deus, cui Idda paulò antè, quàm caderet, ſe unicè commendaverat, voverátque, ſe, ubi evaſiſſet incolumis, Mundo valedicturam, & ſolam privatámque uni DEO fideliter deinceps ſervituram.

His geſtis Henricus iræ ſuæ necdum potens aliquantum conquievit, & poſtquam torvo vultu auſteriſque verbis honorarias Iddæ famulas diro facinori ſedulò illachrymantes accepiſſet, gynæceo digreſſus eſt. Interea Idda ex arce præceps per vepres ac ſentes in profundum delapſa & ſpatium quadringentorum facilè cubitorum caſu ſuo emenſa nihil tamen mali paſſa ad infimum pervenit, portante eam in manibus bono Angelo, ne fortè offenderet ad lapidem pedem ſuum.

Quis autem hoc loco non obſtupeſcat immane & omni memoriâ inauditum Henrici facinus, tanto Comite utique indigniſſimum, qui innocentiſſimam Conjugem, Matronam lectiſſimam, omni virtutum ornatu cultiſſimam, antehàc integerrimam, ne auditam quidem, ſine prævio judicio & juris proceſſu, latâ ſolius iræ inſtinctu fatali ſententiâ, imò non latâ, ſed præcipitatâ condemnavit, ex arce projecit, peſſum dedit. Riſit ad hoc factum mille artium architectus Dæmon, lætus utique, quòd peſſima conſilia ſua tam felicem ſortita fuerint eventum. At verò optimus

mus DEUS, qui calamitoſam quandoque premi ſinit innocentiam, non opprimi, nec ſuos in arcto deſerit, totam tragœdiam vertit in ſuam gloriam & Iddæ ſalutem. Adeò verum eſt, Diabolum ex bonis ſæpe mala, Deum verò ſingulari artificio ex malis bona elicere.

CAPUT VII.

B. Idda ex caſu ſalva & incolumis.

Vita ejus ſolitaria & ſacra eremus.

VBi projecta Idda ex lapſu, & multò magis ex conſternatione, quæ in rebus humanis & mortis præſertim periculis ſuapte naturæ imbecillitate accidere ſolet, ſe ſe collegit, ſalvámque & nulla corporis parte quaſſatam deprehendit, primus ipſius labor erat, oculos ad Cælum tollere, & Soſpitatori ſuo, uti par erat, gratias agere. Quare in genua ſupplex projecta, procul à ſe amandato femineo queſtu & gemitu id unum agit, ut renovato, quod paulò antè conceperat, voto totam ſe DEO rebúſque divinis conſecret. Dictum factum. Nam eo ipſo puncto temporis fallaci ſe ingratóque Mundo ocius abdicatis Toparchiæ & omnibus Sæculi pompis valedixit, ac ſubinde in denſiorem ſilvam longiùs ab arce digreſſa eſt, partim ne Comes ſalvam & incolumem porro inſequi & ſeve-

riùs fortè, quàm fecerat, in ipſam animadvertere poſſet, partim ut de apto ſibi loco circumſpiceret, in quo procul à turbis & humano commercio ſoli Deo vacare poſſet. Via erat multis ubiq; vepribus impedita & ſpinis obſeſſa, pervaſit tamen pia Matrona quà reptando, quà ſe per inculta ſenticeta penetrando, donec tandem ad locum pervênit, ubi ſecura ab indagine hominum ſibi viſa eſt. Tum rurſus in genua proſtrata manibus ad Cælum erectis teneris infuſa lacrymis, gratias tibi ago, inquit, O DEUS meus & omnia, non quas debeo, ſed quas poſſum indigna famula tua pro paterna viſitatione tua, pro innocente caſu meo, pro vita in hoc momentum clementiſſimè conſervata; ecquid à me Redemptor mi, in vicem à me poſtulas, qui me Regnum Mundi & omnem ornatum Sæculi contemnere feciſti, quæ per te evaſi minas hominum, & vanitatem Mundi impolluto jam calle tranſivi: ecce Domine, tibi ſoli deinceps ſervo fidem, tibi me tota devotione committo: hic locus, hæc ſolitudo, hæc eremus requies mea erit, hîc habitabo, quoniam elegi eam: dixi; nunc cœpi; deinceps in Sæculum non revertar: ſtat, potiùs mori, quàm hinc diſcedere. Profectò ſi unquam aliàs neſcivit tarda molimina Spiritûs Sancti gratia, in Idda apparuit vis ea cæleſtis impulsûs, quo ſolo roborata pia Ma-

trona

trona tam auſteræ vitæ ſe mancipare potuit. Appetente porro nocte ſenſit ſe bona Comitiſſa partim ex caſu & terrore, partim ex viæ incommodis oppidò fractam & defatigatam. indigere proin videbatur refocillatione. Sed quis eam ſuggereret in loco deſerto ſterili & exſucco? totum, quod haberi tum poterat fomentum, erat hauſtus aquæ frigidæ, unicum hoc famis & ſitis condimentum. At ubi nocte dormies bona Idda? ſub dio & frigido Cælo, terra tibi cubile, pulvinar lapis erit. lectum tibi (O quàm mollem & plumeum) ſenticeta dabunt aut cava arbor; timorem tibi incutiet tum loci deſerti horror, tum nocturna ſpectra, tum metus ferarum hinc inde commeantium, & quærentium, quem devorent.

At facilè hæc omnia vincit ac ſuperat is, quem DEUS ad magna ducit, ac protegit. Interim ſol occubuit, & cum ſole in terram Idda procubuit, illa jam ſolitaria & deſerta, quæ paulò antè ſervis & famulis circumflua, ancillis ſtipata inceſſerat; illa tota jejuna, quæ delicatis antehàc cibis aſſueverat. Quam porro noctem Idda habuerit, cogitatu Lectori, quàm mihi ſcriptu facilius eſt; credibile eſt, eam inter vigilias ductam. Fortè ad acerbum caſum mentem reflectens pia Matrona expendere ſecum cœpit, quæ tandem vera ac propria cauſa fuerit, eccur Henricus

ricus Comes Zelotypiæ ſpiritu agitatus in eam uſque inhumanam rabiem exarſerit, ut legitimam Conjugem nullius antea ſceleris compertam tam repentino impetu ſine judice, ſine lege & mora ex arce præcipitem dederit: cùm verò nihil in animo reperiret, quo conſcientia vel leviter argui poſſet, ad judiciorum DEI abyſſum multam ſe convertit, & è ſuavi Dei providentia ſolatium ſibi decerpſit, quo deinceps omnem calamitoſam vitam ingenioſè ac piè condiret. Neque his contenta cauſam inſuper ſuam juſto Judici & renum Scrutatori Deo ex toto commiſit, eô manſuetudinis ſpiritu, ut pœnam Henrico marito debitam non modò deprecaretur, verùm etiã pro ipſo ſupplicem veniam à divino tribunali ſolicitè expoſceret. Ab eo tempore omnem ſuſpicionem, rancorem, &, quæ tacitè laneo pede irrepere ſolet, tacitam vindictã ab animo ſuo proſcripſit, in hoc unum intenta, ut deinceps vitam viveret humanâ excelſiorem, quâ uni DEO placeret.

CAPUT VIII.

Opinio & Sententia domeſticorum de præcipitata Idda.

IN magnis rerum converſionibus & mutatione fortunæ nõ idem, nec concors ſenſus eſt omni-

omniũ, diſſidentibus ſæpenumero & in diverſa diſtractis ſententijs. Idem quoque poſt caſum Iddæ Tockenburgicæ evenit. Plerique domeſtici reliquias funeſtæ iracundiæ Comitis etiamnum pertimeſcebant, veriti, ne fortè tragœdia in ſuo quoque capite finem acciperet. alij tacti dolore cordis intrinſecùs ingenti & tenero commiſerationis affectu in ſuam Dominam ferebantur. Quis ambigat, domeſticorum aliquos propediem ex arce in ſubjectam vallem deſcendiſſe, ut miſeram Comitiſſam omnium opinione contritam & confractam inter vepreta conquirerent. At verò ubi poſt accuratam indaginem nec Iddam, nec Iddæ jam aliò dilapſæ veſtigium ullum extare notârunt, quas putas, amice Lector, in mentibus quæſitorum tunc exſurrexiſſe ſententias? Nonnullorum opinio erat, collapſum & conquaſſatum corpus à fido aliquo homine clàm fortè ſubductum eſſe, ne porro à marito nondum pacato ultima aliqua contumelia cadaveri inferretur. Aliorum, & præcipuè Comitis Henrici, ſenſus erat, re verâ adulteram fuiſſe, & in pœnam criminis juſto DEI judicio nocens corpus ſtatim à feris dilaceratum, diſcerptum & dilaniatum fuiſſe. Nemo credebat ipſam adhuc ſuperſtitem, nemo vivam. Ergo poſt excuſſas latebras & loci illius receptacula ſupervacaneum denique viſum eſt, ulteriorem

diligentiam in perquirendo cadavere adhibere, quocunque demum id devenisset.

Non multò pòst, uti fieri ſolet, tragica rei malè geſtæ fama primùm inter ſubditos Tockenburgenſes ſparſa, ſtrenuè totâ viciniâ diſcurrit, ſubinde etiam in diſtans Kirchbergam uſque delata eſt, cujus acerbitate tota Kirchbergenſis ditio, nobiliſſima præſertim Iddæ cognatio intimè cohorruit. Veriſimile eſt, diverſos diverſa fuiſſe locutos, prout affectus unicuiq; dictabat bonæ malæve mentis interpres: nam novum non eſt, juſtum ſæpè à malignis linguis pati. Idda vulgò habebatur pro adultera etiam à ſuis, maximè, cùm Henricus Comes Kirchbergam nuncium cum literis miſerit, quibus facti ſui rationē non ſolùm reddidit, verùm etiam iram executionémq; ſuam, ceu juſtam, inſimulatione adulteræ Conjugis, quantùm potuit, coloravit. At verò tametſi Idda apud pleroſq; audiret, ceu adultera, nec eſſet ſublato venatore, qui innocentiæ ipſius patrocinium ſuſcipere vellet, aut poſſet, fuere tamen, meâ opinione pij quidam & generoſi animi, qui induci non poterant, ut tantum flagitium de Idda crederent, imò cenſerent, Henricum Comitem nimia præcipitantia, & impetu magis, quàm ratione eò crudelitatis deductum, ut innocentem è medio ſuſtulerit. Hujus opinionis præcipuè erant illi domeſtici, qui luculento

lento teſtimonio ex ipſomet venatore ultrò audierant, pretioſum illum annulum (anſam totius tragœdiæ) abs ſe in nido corvorum fortè fortuitò repertum fuiſſe. Nihilominus metu irati Comitis benigna hæc opinio propugnatorem non habuit, nec licebat veritati, apertè & liberè caput ſuſtollere, triumphante ubivis, præſertim Tockenburgi, publico de adultera Idda mendacio.

Multo tempore hæc paſſim narrabantur de Idda, donec tandem fama ex defectu pabuli, ut fit, ſua ſponte deſedit, & unà cum fama Idda quoque in extremam oblivionem mortalium venit. Sed hæc de his. Nos ad vitam Iddæ in eremo ſanctiſſimè traductam revertimur.

CAPUT IX.

Solitaria caſa à B. Jdda in eremo exſtructa.

DIximus ſuperiore capite, B. Iddam primam noctem inter pias preces & vigilias egiſſe ſub folioſa quadam arbore, aut fruticeto, in eóque ſilveſtri thalamo brevem ſomnum cepiſſe, quem tamē cum albeſcente Cælo ſtatim excuſſit, & ſolem ipſum in laudando DEO prævênit: nam genibus rurſus divinæ Majeſtati inflexis totum ſolatium à pre-

cibus & invocatione Numinis advocabat, à quo id unicè petebat, ne ſe miſeram deſereret, viréſque præſtaret, ut ſanctum vitæ ſolitariæ propoſitum executioni mandare poſſet. Abſolutâ oratione oculis rurſus hinc inde exambulat, viſura, ſi locus occurreret, quo idoneam ſibi caſulam exſtrueret. Æſtas erat, & tempus ferendis eremi incommodis non uſque adeò importunum.

Necdum Idda ſibi videbatur ſatis ab arce remota, metuebatque inveniri. Ergo greſſum in penitiorem ſilvam ulteriùs promovet, & in certum quendam locum, verſus montem cornutum tandem pervenit, quem in hodiernum uſque diem pervetuſto ſervato vocabulo, Rabenſteinium incolæ appellant; quamquam tota etiam illa intercapedo, quæ arci circumjecta eſt, eodem quoque nomine hodie dum compellari ſolet. In hoc ſpatio aptum loci ſitum, monſtratore bono Genio, reperiſſe ſibi viſa pia matrona ſedem tandem delegit, in qua certamen ſuum adverſùs Mundum, Carnem, & Diabolum ordiretur. Prima ejus cogitatio erat de extruenda vili & extemporali domuncula, in qua ſe tueri adverſùs ferarum incurſus, & cæli injurias, ac cum bono Deo in pace deliteſcere poſſet. At manus illi auſteriori labori tractando inaſſuetæ, nulla inſuper ſecuris, nulla aſcia erat, quâ ramenta deijceret. Egit nihilo

hilo minùs, quantum potuit, imbecilla mulier, quaſi ſexûs ſui oblita, & majora viribus ſuis auſa ex comportatis lignis domum aliquam molita eſt. Hoc nimirum erat magnificum illud palatium, in quo Comitiſſa Idda deinceps habitaret, caſa ſine tecto, ſine menſa & cibo, ſine foco & lecto, palatium, inquam, uſque adeò vacuum & inane, ut ne coquendis & macerandis ſilveſtribus hèrbis quidquá ſuppeteret. Locò templi ipſi ſerviebant ligna quædam transverſa in figuram crucis rudi opere adaptata, ex cujus aſpectu animabatur ad fortia alacri animo perferenda, mente totâ in Cælum ejúſque contemplationem translatâ. Si parva magnis licet componere, viliſſima hæc caſa Iddæ ſimilitudinem quandam referebat pauperrimi ſtabuli, in quo Chriſtus naſci & aliquanto tempore cum ſanctiſſima Matre ſua & Joſepho habitare dignatus fuit.

CAPUT X.

B. Iddæ auſtera vita in Eremo ducta.

QUemadmodum ductu Sancti Spiritûs B. Idda in eremum conceſsit, ita ejuſdem divino magiſterio vitam ibidem ex regulis cæleſtis prudentiæ inſtituit. Totus dies illi in pulchrum ordinem partitus erat. Certas horas

ras mentali,alias vocali oratione impendebat. Victus ipſius erat parabilis de herbis & radicibus de terra ibidem temerè natis, tota vivendi ratio non niſi jeiunium: hauſtum ipſi præbebat aqua ex vena obvia ex ignobili & ſobrio fonticulo: nox ipſi potior inter preces vigilata, ſomnus non niſi parcus & paucis horulis definitus, terráque aut duro ligno ſumptus. Corpore quidem Idda vivebat in ſilva inter contubernales beſtias, at ſpiritu ſeſsitabat pia diſcipula cum Magdalena ad pedes Domini, ibidemque optimam partem ſortita plus diſcebat ex ſecreto Dei alloquio, quàm laborioſo librorum aut hominum magiſterio: adhæc penuria rerum ſummè neceſſariarum, ipſius etiam panis quotidiani defectus acuebat patientiam ipſius, non minuebat amorem ſolitudinis. Facilè quiſpiam ſecum expenderit, quas corporis incommoditates, quas tempeſtatis injurias, æſtûs & frigoris alternas moleſtias tanto tempore Idda pertulerit in loco tam aſpero, tam immiti Cælo, tam inculto ſolo, ita, ut meritò quis admirari poſsit ac debeat, quâ ratione Matrona aulicè educata tam teneræ complexionis & corporis par eſſe potuerit tot devorandis eremi incommodis, quæ antehac medijs innutrita delicijs, mollibus & pretioſis induta veſtibus non niſi lectiſſimis cibis aſſueverat. Certum eſſe videtur, id præter naturæ ordi-

nem

nem non ſine manifeſtoDei prodigio eveniſſe, qui fidelem famulam ſuam Iddam digito ſuo ad ſeveriſſimam hanc vivendi rationẽ manuduxit, & à morte tot annis præſervavit. Ille ipſe, qui eam vocavit, ſpecialem quoque illi gratiam addidit, cujus auxiliari operâ tot ærumnis ſufficere potuit, prout etiã olim multis alijs ſanctis adfuiſſe certis probatiſq; hiſtoriarum monimentis proditur, noviſſimè verò exemplo B. Nicolai Subſilvani plus quàm abundè teſtatum fecit. B. Maria Ægyptiaca, magna illa peccatrix, magna Pænitens tres ſecum panes in eremum detulerat, quorum ſucco ipſos ſeptendecim annos vixit: at verò ijs conſumptis triginta alijs annis prodigiosè à Deo paſta & ſuſtentata legitur. Eodem ſanè modo bonus & liberalis Deus largâ manu ſua, quam omnibus aperit, B. Iddam ſine pane ſolis herbis & agreſtibus fructibus ſuſtentavit. Quam Nutricij ſui providentiam & miram Æconomiam illa probè agnoſcens ferventi Dei ſui amore compenſavit, in eúmque ceu patrem ſuum omnem fiduciam, rerúmq; ſuarum diſpoſitionem pleniſſimè conjecit, unde factum eſt, ut quandoque, cùm rebus ſummè neceſſarijs eſſet ſpoliatiſſima, afflueret viciſſim ſupernis delicijs tanto támque copioſo gratiarum imbre conceſſis, ut creatæ illecebræ merum ipſi fel & abſinthium, vitæ autem incommoda & ſeveritas me-

rum

rum mel & ſuavitas ſuavitatum viderentur. Ad hæc cùm eſſet ab hominibus deſertiſſima, compenſabatur illi ejus ſocietatis jactura nobiliore Angelorum præſentia, ut proinde nunquam ſatis gratiarum optimo DEO reddere poſſe videretur pro Bono pacis internæ, & vitæ ſolitariæ, ad quam, velut ad Paradiſum de procelloſo mundi pelago & inquieto ſtatu divina ipſam Bonitas eduxerat.

Non minus providentiſſimi Dei beneficium erat, quòd tot annis à nullo inventa, à nemine agnita fuerit. Comes Henricus non multò pòſt alterum venatorem in locum occiſi mercede conduxerat; qui proinde more ſuo cum odoris canibus illam ipſam ſilvam, quam Idda incoluerat, hinc inde procul dubio perveſtigaverit, & amore prædæ latebras omnes excuſſerit. at Dei benigniſſima ſolicitudo eò uſque impedivit, ne vivus ille virtutum theſaurus ante tempus detegeretur.

De tentationibus B. Iddæ, quas in eremo à Diabolo communi adverſario pertulit, nihil in ſpecie eatenus hiſtoria meminit, at verò extra omne dubium eſt, Sanctam Matronam impuri illius Satanæ, qui ipſum Dei filium in eremo degentem experiri & inceſſere minimè dubitavit, jaculis non caruiſſe. Vero ſimile eſt, ſtudium vaferrimi tentatoris eò collimâſſe, ut prioribus imaginibus faſcinatum ex eremo in mundum, ab ærumnoſa vita ad de-

delicioſam aulam, à ſolitudine ad relictas illecebras pertraheret. Sæpe ſæpius ipſi fortè ante oculos poſuit bonum famæ, quâ ratione ipſa paſſim decantaretur pro adultera, quâ ratione utraq; nobiliſſima familia ipſius causâ in ſupremum dedecus & dehoneſtamentum adducta, ac ſcandalum paſſim propagatum per urbes & populos fuiſſet; teneri propterea ipſam in conſcientia incommodis hiſce mederi innocentiæ ſuæ defenſione, teneri ad amoliendam abs ſe adulterij ſuſpicionem & criminis notam; obligari ipſam regredi ad maritum, ad ſuos, ut liquidò conſtet, talem non eſſe Iddam, qualis hactenus per ora hominum ferebatur. His & alijs ejuſmodi falſis perſuaſionibus, ceu magnis quibuſdam baliſtis inexpugnabilem patientiæ turrim ſæpe ſæpius impetijt nequam Spiritus, & nihil non egit, ut tædium vitæ ſolitariæ ipſi ingeneraret, at generoſa mulier, una de fortibus adverſus omnes inſultus loricata omnia hæc ignea tela nequiſſimi fortiter repulit, vicit, triumphavit, ut merito puderet Adverſarium alibi tam felicem & victorijs inſolentem ab imbecilli femina toties fuiſſe ſuperatum. Potiſſima ipſius armatura erat filialis in Deum fiducia, quo inexpugnabili ſcuto, quicquid erat hoſtile, excepit interrita, rejecit glorioſa non unius trophæi laureata Amazon.

CAPUT XI.

Idda in Silva à venatore inventa.

LYdius lapis veræ heroicæque virtutis eſt perſeverantia & diuturnitas. Ne quid ergo perfectionis Iddæ deeſſet, etiam longanimis fuit: ipſis quippe ſeptendecim ſolidis annis, uti nonnulli autumant, in hac ſua ſolitudine nulli mortalium viſa, nulli agnita perſtitit, donec tandem optimo Deo placuit eam rurſus Mundo oſtentare, ipſiúſque innocentiam in lucem ac ſolem proferre, non alium ob finem, quàm ut afflicti inde ærumnarum ſolatium, pietatis verò ſtudioſi raræ virtutis acciperent exemplum. Rem in hunc modum accidiſſe annales memorant. Tempeſtate quadam venator Comitis in ſilvam Rabenſteinianam egreſſus quaqua verſum vagabatur cane Comite, omnium, quem habebat, ſagaciſſimo. Nihil prædæ in propinquo erat, quam inſectaretur. Itaque ſilvæ interiora nonnihil inde remota ſubire ſtatuit. Quod dum facit; ecce tibi in via humana cernit veſtigia terræ leviter impreſſa, quæ mira odoris cupiditate avidiſſimè perſequebatur prodromus canis: veſtigia Idda poſt ſe reliquerat non multò antè illac tranſiens victûs conqui-

rendi

rendi gratiâ, quæ ipſi cani venerabilia Sancti-tas potenter ex illis ſpirans reddiderat. Miratur curioſus venator principiò, loco tam horrido & inculto quemquam mortalium tranſire potuiſſe, quò magno ſuo labore vix ipſe penetraverat: mox tamen & ipſe prævio cane veſtigia illa ſequi decernit, operæ pretium facturus, ſive eo veſtigiorum argumento in feram, ſive in hominem aut monſtrum denuo incideret. Dum oculis, uti ſolet hoc ſagax hominum genus, eminus omnia & cominus luſtrat, videt haud procul parvam caſulam, in qua Idda erat recondita; videt & Idda venatorem, ſed quàm pavido animo, utpote quæ ſe noverat deprehenſam. Minimè cunctatus venator accedit ad locum, ſcrutatur omnia ſtudiosè: videt feminam malè veſtitam; longo enim annorum ſitu magna pars veſtium defluxerat: ſalutat eandem amicè, & quid hîc agat loco tam iniquo, percunctatur. Idda præter gratiarum actionem, eámque perbrevem, verbum aliud homini reddit nullum, ſed ſancto ſilentio, qualis ſit, hoc eſt, ſolitariam ſe profitetur. Pauca hæc verba venatorem non ſatiaverant, ergo propiùs accedens fixis in vultum oculis ſeriò mulierem intuetur, & neſcio quæ in facie lineamenta deprehendit notæ imaginis & effigiem viſæ aliquando Dominæ: nam Iddam in priſtina fortuna olim perbellè noverat. Continuò

dubium omne exemptum eſt ex vultu probè agnito. Tum verò præ gaudio jam non ſe tenens, hiſce verbis, porrectâ in ſignum benevolentiæ manu, Iddam allocutus eſt: Domina, inquiebat, niſi magnopere fallor, tu ipſiſſima noſtra Idda es, quam Comes Henricus repudiavit: quomodo autem, per Deum immortalem, fieri poteſt, ut vivam etiamnum & ſuperſtitem hoc loco inveniam, quam ex altiſſimo arcis ſupercilio dejectam in immenſam voraginē omnes habent pridem pro mortua, pro cadavere in cineres reſoluto. His auditis cenſuit Idda, è re fore, & divinam gloriam hîc & nunc exigere, ut paucis homini minimè malo reſponderet, & prodigij mentionem faceret. quare modeſtiſſimè in hunc ſenſum prolocuta eſt: non inficior, inquiebat, bone vir, juxta leges naturæ ita eventurum fuiſſe, uti tu ais: nam à conjuge contra fas & æquum ex loco edito præceps data ſum, ut in fruſta comminui oportuiſſet; at bonus Deus propitijs oculis ad innocentiam meam reſpexit, méque à lapſu, quæ ipſius miſericordia eſt erga me immeritam, ſervavit incolumem: quo facto ut me ipſi pro modulo meo gratam exhiberem, firmiter propoſui, deinceps vitam meam miraculo à Deo acceptam in hac vaſta ſolitudine illi ipſi ſoſpitatori meo impendere, eique ſervire. finierat illa: cùm venator cœptum ſermonem proſequi inſtitit:

Do-

Domina, inquiebat rurſus, ſcire te velim, caſum illum tuum & ſortem perquam funeſtam & mihi & alijs oppidò doluiſſe, doleréque etiamnum, at hodie penitus confido, firmitérque credo, omnem illam ignominiam, quam paſſa es, non unâ ratione, ſed mille charitatis ſignis abundè tibi à conjuge tuo compenſatum, & in priſtinam gratiam te receptum iri: boni ergo hodie nuncij ego bajulus ero, ubi primùm in arcem rediero: quare non eſt, cur hîc longiùs morer: quin eo potiùs, & quod oculis hauſi ſpectaculū, Henrico Comiti perſero. vale. Ingrata hæc venatoris cantilena in auribus Iddæ inſonuerat, ceu importuna in luctu muſica, eam maximè ob cauſam, quòd ſe prodendam in aula Tockenburgica, prout venator in ſe receperat, haud immeritò vereretur: malebat enim pia ſilentiaria Deo & Angelis, quàm hominibus nota ac cognita perſiſtere. At verò venator boni lucelli cupidus nihil precibus Iddæ tribuendum ratus, quanta poteſt celeritate in arcem tendit & vix non volat. Luctabatur inter hæc Matrona ſecum ipſa, & quid in hoc rerum articulo agendum, num abeundum, num in ſtatione ſibi permanendum foret, diu multúmque hærebat anxia. Verecundia ſuadebat fugam, timor latebras & occultationem, Patientia conſtantiam. Pro more ergo ad divinum oraculum per preces

confugit, ſine quibus nihil actitare ſolebat, claróque mox inſtinctu intùs facundo per modum Cæleſtis luminis intelligit, Dei voluntatem hîc & nunc expoſcere, ut loco non abeat, virtutíſque palæſtram non deſerat.

Subinde venator in arcem venit, &, uti gaudio fervebat, anhelans rectà ad Comitem adijt cum dicto, feliciſſimi ſe nuncij Mercurium adeſſe; vidiſſe ſe in ſilvæ penetralibus Matronam quampiam attrito amictu malè veſtitam, colonam vilis domunculæ; hanc ipſam eſſe Iddam Illuſtriſſimi olim Comitis Vxórem de ſpecula arcis Tockenburgicæ in præceps datam: vivere illam ſalvam & incolumem: excepiſſe ſe illam, porrectáque etiam manu ſalutâſſe, quin imò jurare ſe per ſancta omnia & caput ſuum in rei teſtimonium devovere. Incredibilis hæc narratio Comiti Henrico principiò viſa eſt: quomodo enim, inquiebat ipſe, fieri poterit, ut Idda etiamnum ſuperſit, quam ego ceu in me perfidam & thalami mei maculam his ipſis meis manibus ex hac ipſa arce mea in profundiſſimum tumulum præcipitem dedi: quis dubitet, eam centum interea mortes obijſſe, & dudum putruiſſe. Ad hæc venator, vitâ, inquit, luam & mendacium morte expiem, Illuſtriſſime Domine, ſi fallam; hiſce oculis egomet vidi, agnovi Iddam tuam, hiſce auribus meis, cùm prodigium mihi narraret, au-

divi

divi innocentis caſûs hiſtoriam: addidit magnâ ſe injuria abs te affectam, contra fas præcipitem datam; innocentiæ propterea tutorem Deum in eo articulo ſibi adſtitiſſe, ne periret; quòd ſi dictis meis fidem adhibere cunctaris, Illuſtriſſime Comes, auctor tibi ſum, ut eò te mecum conferre & proprijs oculis ſpectaculum illud uſurpare velis; ego te ducam, ego viam præibo. Habuere robur ſuum poſtrema hæc venatoris verba, ut ſenſim Henricus crederet, & amore tam novæ difficiliſque veritatis in viam ſe conferret.

CAPUT XII.

Idda à Comite Henrico in ſolitudine viſitata, & data venia Marito reconciliata.

VTitur Divina Providentia orbe terrarum pro theatro & pegmate, in quo celebris hæc choraga ludat cum filijs hominum. Mirabilem hunc luſum tum in multis alijs Sanctis. tum verò longè manifeſtiùs cernere eſt in B. Idda, quæ non tantùm Deo, Angelis & hominibus, ſed univerſo Mundo gratum ſpectaculum facta eſt admirabilis & eminentis virtutis. Quis imaginari ſibi potuiſſet, ſanctam Matronam ſitu & ſqualore loci multùm immutatam poſt tot annos ex ſilvæ ſuæ tene-

bris in lucem rurſus emerſuram? emerſit tamen. quis crediđiſſet, miſeram innocentiam tam gravi præjudicio comiſſi adulterij obrutam, pro convicta habitâ poſt tot annos reſtituendam in integrum & abſolvendam? abſoluta eſt tamen. At Dei digitus hic fuit, qui à fine ad finem attingit omnia fortiter, & diſponit ſingula ſuaviter. Accipe eventum rei amice Lector, & mirare Dei miriſſimam diſpoſitionem.

Venit ducente venatore Rabenſteinium ad nominatum locum Comes Henricus. quem ubi primùm ex rimis caſulæ ſuæ eminùs conſpicata eſt Idda, ſurrexit in occurſum, &, quâ ferebatur reverentia in maritum, honoris causâ ipſi proceſſit obviam vix ſatis tecta, defixis humi oculis, modeſto geſtu corporis, amico vultu cæleſti quadam verecundia ſuffuſo. Hæſit ad primum aſpectum Henricus attonito ſimilis, &, ubi ſuam agnovit, neſcio quo pio horrore ictus, toto pectore contremuit. Miſera Iddæ ſpecies intimè animum ipſi vulneraverat, ita, ut præ tenero cordis ſenſu lacrymas jam non continere poſſet, quin copiosè fluerent, nivis inſtar ab aſpectu ſolis. pudebat ſcilicet ipſum exercitæ crudelitatis & datæ tragœdiæ, conſcientiâ ipſum intùs arguente, & digito commonſtrante, quid malè egiſſet. Non diu igitur deſiderari paſſus eſt partes ſuas pænitens Comes, quin

in

in laudes Dei effuſus diſerta oratione mira ejus & abſcondita judicia prædicaret, quæ Iddæ tam luculento prodigio vitam & innocentiam ſervâſſent. Tum in genua procidens implorata prodiga Dei miſericordia Iddam ſuam deprecatus eſt, dignaretur nimirum ipſa quoque parricidæ ſuo & Tyranno omnium ſæviſſimo ignoſcere, & inauditi delicti veniam etiam ab irato Cælo ſibi impetrare, quam ex copia boni pectoris illa crudeli marito jam antecedenter dediſſet. Non ſivit pacatiſſima Idda Conjugem ſuum diutiùs humi ad pedes ſuos ſerpere, ſed comiter ipſum à terra erigens in hunc maximè ſenſú eundem allocuta eſt: Deus, inquiebat, cujus natura bonitas, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, mihi, tibi & omnibus mortalibus peccata, quotquot ſunt, clementiſſimè ignoſcere velit: cæterùm non eſt, Conjux mi amantiſſime, non eſt, inquam, cur à me veniam petas, pridem ex medulla cordis mei datá, mea ſcelera atrociorem longè pœnam & ſupplicium, imò mortem ipſam merebantur. at placuit ſuper omnia benigno Numini vitam mihi conſervare, ut eandem puro ejus ſervitio conſecrarem: porro tametſi peccata mea multa & gravia ſint, adulterij tamen nullam conſcientiam habeo; quantum ad hoc punctum attinet, innocens ſum; nam in ſacras matrimonij leges nihil

commiſi unquam: Deum hujus innocentiæ meæ teſtem & protectorem invoco. Excepit hæc verba Comes, & pio gemitu ſe reum faſſus actutum ſubdidit: non tu, Conjux mea dilectiſſima, non tu deliquiſti, ſed ego miſer & inſanus Zelotypus; &, quoniam prima morbi medicina eſt, agnoviſſe malum, profiteor hîc & nunc, fatebórque deinceps, me erráſſe: habes confitentem reum, habes deprecantem: fateor, me nimis credulum fuiſſe; nimium mendaciſſimo aſſentatori & ſuſurroni, nimium præcipiti meæ iracundiæ tribui: dico culpam meam & doleo: utinam tragœdiá illam non dediſſem! utinam, quod factum eſt, infectum fieri vel hodie poſſet! & quoniam innocentiam tuam in clariſſima luce poſitam liquidiſſimè intueor, ideò omnem ſiniſtram ſuſpicionem de te unquam conceptam ex hoc momento damno, ex animo meo proſcribo, omnem rancorem expello, &, quod ſupereſt, majore te, quàm unquam aliàs, amore complector, recipióque in meam, quam ſacro fœdere mihi junxi, Iddam conjugem: noli, obſecro, noli recordari Tyranni tui; obliviſcere priorum; recipe me in tuum, ſicut ego te accipio in meam: redi mecum ad thalamum, redi Tockenburgum; ibi experimento tuo diſces, me ad compenſationem dolorum paratum eſſe, injurias me beneficijs redempturum: at verò, quod æquum & ju-
ſtum

ſtum eſt, venenatus ille Baſiliſcus, ille ſuſurro, qui me labijs ſuis circumvênit & dolis, qui ad crudele factum me inflammavit, talione luet, & morte facinus expiabit. Extrema hæc verba ira Henrico expreſſerat, quæ Iddæ meritò diſplicuerant. unde occaſionem ſumens illa in hunc ſenſum proloqui perrexit: unum eſt, quod rogem, amantiſſime Conjux, velis tandem Chriſtianæ manſuetudinis regulas penitùs animo tuo imprimere, & iracundiæ in famulum conceptæ modum ponere. Caveat Deus verè bonus, verè miſericors & benignus, ne ullus mortalium causâ mea patiatur, nedum ut morte luat: per Deum, quem times, per omnia tibi chara te obteſtor, ut famulo illi tuo, cui iraſceris, amore Dei mei parcas, vitam & culpam condones. Condixit Comes, ſimúlque vehementer urſit, ut Idda ſecum in arcem ad priores honores reverteretur. at illa guſtu cæleſtis vitæ jam plena gratijs actis comiter abnuit, & in hæc verba reſpondit: Domine mi, ſi gratiam inveni in oculis tuis, audies famulam tuam patienter & breviter: quod benignè à me petis, ut tecum ad delicias & ad thalamum redeam, factu impoſſibile cenſeas, velim; nam vita mea nec jam mea, nec tua eſt, ſed illius, qui eam prodigio ſervavit; illam proinde Deo meo debeo; eandem concepto voto illi donavi, hanc animam & hoc corpus meum ceſſi ex in-

tegro: abſit, ut bonum datum ad me revocem, & rapinam in ſacrificio amem: neque enim mihi, néque tibi O Comes, bene verteret ea ingens temeritas, ſi aut tu me à Deo meo, in cujus amplexum veni, invitam abſtraheres, aut ego volens adverſùs voti mei religionem ultrò in partes tuas rurſus concederem, & cæleſtes eremi delicias cum mundi voluptatibus, caſam hanc meam cum aula Tockenburgica commutarem. abſit, ut tam ingrata Deo exiſtam, & beneficia ipſius turpi transfugio dehoneſtem: quæ Dei mei Bonitas & liberalitas eſt, ipſe me protexit hactenus paterna manu ſua, protegétque, uti ſpero, deinceps: per ipſum mihi nihil defuit unquá: ipſe me enutrijt: ille indignam famulam ſuam cæleſtibus ſolatijs, quæ omnem ſenſum ſuperant, pavit, fovit, recreavit; quare patère, Domine mi, ut ad Dei gloriam, cujus nos omnes debitores ſumus, ad animæ meæ ac tuæ ſalutem in ſancto propoſito ſolitariæ vitæ pergere poſſim; neque enim cogito ad ingratum mundum, à quo tam contumelioſè ejecta ſum, reverti. Finierat Idda, nec habebat Comes, quid reponeret, quàm gemitus & ſuſpiria. Quoniam verò de reditu eius, quantumcunque urgeret, deſperaret, audijt poſtulantem Iddam, & dato conſenſu pias ipſius preces approbavit, tum, ne cognitæ divinæ voluntati adverſaretur, tum ne ſan-

ctam

ctam eremi colonam ſuam eâ repulsâ contriſtaret. At verò unum adhuc dictabat illi bonus in conjugem animus; ut, quandoquidem Tockenburgum redire Idda abnueret, ſaltem illi Henricus obſequia & facultates ſuas offerret; diceret proinde Idda, ſi quo ad vitam ſuam tranquilliùs in Dei ſervitio tranſigendam ex ærario Comitis indigeret; ipſam ſine mora impetraturam. Injectam hanc à Deo Henrico Comiti piam cogitationem haud negligendam rata Idda in hunc ferè modum reſpondit: quam mihi ultrò offers, Henrice, benevolentiam, de tua liberalitate promptè accepto, téque enixè rogo, procurare velis de tua munificentia, ut loco commodo exiguum mihi domicilium de vili & parabili materia exſtruatur, idque non tædio vitæ ſolitariæ, ſed in gratiam divinorum officiorum, quibus deinceps intereſſe cupio; quoniã verò nullius loci majore deſiderio teneor, quàm Augiæ ad pedem Montis Cornuti propè ſacellum Beatiſſimæ Virginis Matris Dei, celare abs te nòn poſſum cordis mei arcanum, ibi me deſignâſſe habitationem meam, ut pro me & pro te deinceps ardentiùs orem, & divinam Majeſtatem ditioni ac domui tuæ propitiam ſervem. Hæc illa. Ex qua oratione ſatis patere cenſeo B. Iddam ſpeciali & tenerâ pietate Magnæ Virgini addictam fuiſſe, quia præ tot alijs pijs locis, templis, & monaſterijs

in

in vicinia ſitis hanc unam cæleſtis matris ædiculam ſibi delegit, in qua Deo piè & ſanctè reliqua deinceps vita ſerviret. aliàs pervetuſtum hoc & antiqui nominis Sacellum à Comitiſſa quadam Tockenburgica (Williburgam faſti nominant) in D. Virginis honorem extructum fundatúmque perhibetur.

His auditis Comes Henricus omnia quantocius in ſe recepit, ſanctéque, quod petebatur, ſe effecturum ſpopondit. ut verò amorem ſuum obvio ſtatim ſigno teſtaretur, juſſit, ut in ſolatium longæ famis delecti quidam cibi de menſa ſua adferrentur, quam tamen humanitatem deprecata Idda non acceptavit, ſed ſolitariam ſe profeſſa deinceps in cœpto vitæ tenore & agreſtium herbarum victu perrecturam ſe aſſeveravit. credibile tamen videtur, quòd à Comite parabilem veſtem è paupere viliſque materia emendicaverit, cùm prior, qua induebatur tunica annorum ſitu macerata pluribus locis vitium paſſa fuiſſet.

Interea tempus monebat Comitem, ut domum in arcem ſuam reverteretur. ubi ergo, quantum potuit, amiciſſimè Conjugi cum gemitu & lacrymis vale dixiſſet, ſéque in pias Iddæ preces commendâſſet, utrinque diſceſſum eſt magno ſolatio, majore deſiderio.

At O quoties bonum Comitem in mentis ſuæ conclavi & ſilentio clauſo poſt ſe oſtio præ-

præpoſteri facti ſui pænituerit, quòd tam ſanctam, támque omni virtutum genere conſpicuam & innocentem Matronam adeò immaniter tractârit, tam ignominiosè expulerit, tam crudeliter præcipitem ex feneſtra egerit. Fecit tamen hac ipſa in parte Deus cum tentatione proventum: cautior quippe ab eo tempore Henricus ſuo hoc malò ſapuit, & inſigne miraculnm ſervatæ Conjugis memore ſemper animo revolvit.

ANNOTATIO.

HOc loco monitum Lectorem velim de errore quodam in Martyrologium vernacula lingua anno 1599. Dilingæ impreſſum illapſo. Ac primò quidem meminit dictum Martyrologium 3. Novembris in vita B. Iddæ, quòd eam Comes non proprijs manibus, ſed operâ aliorum de arce præcipitaverit. Secundò ait, quòd Henricus poſt Iddæ inventionem non agnoverit illam pro ſua. Huic opinioni & ſententiæ contradicunt monimenta antiqua & vita Sanctæ, conſcripta à Ven. P. Petro Caniſio Soc. JESU & primâ vice impreſſa Anno 1590. alterâ verò vice prælo data Anno 1612.

CAPUT XIII.

Exſtructum Iddæ in Augia domicilium & proſecutio vitæ ſolitariæ.

POſteaquam rumor de inventa Idda, ejúſque detecta innocentia tota illa regione diſperſus eſt, & longè latéque percrebuit, magna inprimis omnes admiratio, natúmque ex admiratione gaudium cepit. Lætabantur omnes velut de altera Suſanna à Daniele olim vindicata & reſtituta in integrum, Tockenburgici præſertim & Kirchbergenſes, ac maximè nobiliſſima utraque familia, quibus non levis macula ex credito Iddæ adulterio erat inuſta. Probabile videtur, piam Matronam ſanctitate ſua factam jam celebrem à pijs perſonis in ſimplice illa ſua domuncula fuiſſe aditam & viſitatam partim ſolatij cauſâ, partim ſalutaris doctrinæ gratiâ, quam labia ipſius diſtillaverant.

Interim Comes minimè cunctatus commodum in deſignato loco domicilium per fabros ſuos abſolvit. quod ubi Iddæ ſignificatum eſt, humanis uſibus aptatam eſſe ædiculam, tota in eo fuit, ut Deo pro paternâ cura, pro ſervata tot annis in eremo vita & mille alijs beneficijs gratias ageret. quoniam verò ex minimè obſcuris ſignis agnoverat,

Dei

Dei voluntatem exigere, ut ex priore caſa in novum habitaculum migraret, tranſivit cum gaudio, & nihil ſecum, niſi ſe ipſam ferens, ingentem virtutum cumulum & ſupellectilem eò transportavit, ſatis gnara, illum abundè divitem & opulentum eſſe, cui Deus ſufficeret, cujus antehàc prodigioſam Oeconomiam ſatis ſupérque in ſterili eremo fuiſſet experta.

Extra dubium eſſe videtur, Comitem Henricum novam abs ſe extructam domunculam omni apparatu & neceſſaria ſupellectili inſtruxiſſe, lectum in ea collocâſſe, de victu Conjugi providiſſe. at verò his omnibus non indigebat abſtemia & paupertatis ſtudioſa Idda: malebat enim penuriam pati, quàm abundare: quare retentis præcisè ſolis extremè neceſſarijs vel remittebat ea donaria ad Comitem, unde venerant, vel in pauperes ipſa pauperrima dividebat.

Vita exinde ſanctæ Matronæ per plures annos in hac nova ſtatione erat ſibi per omnia ſimilis, & qualis in eremo fuerat: nihil enim acceptabat ex aula, nihil à Comite marito, tanquam mundo & delicijs mortua. paucis erat contenta, quæ à ruſticana plebecula eleemoſynæ nomine ipſi præbebantur, malebátque inde, quàm ex delicata aula paſci. Verborum modica, & parca, geſtibus modeſta; demiſſione animi infra omnes abjecta talem

ſe

ſe gerebat, ut ne minimam Comitiſſæ ſpeciem foràs emicare ſinceret. orationi inſuper, jejunio, afflictationi corporis erat addictiſſima; neque propterea manualem laborem intermittebat, ſed pro interpunctione temporis ac ſpiritûs illum adhibebat, ut ſuum diligentiæ precium ſtaret, neque otioſam Diabolus offenderet. Et, quia ſingulari affectu ferebatur in proximum B. Virginis ſacellum duobus ſtadijs à domicilio diſſitum, idcirco in eo verſabatur pernox & perdia inquilina, ubi per igneam orationem totam ſe coram Deo effundebat.

Amori Dei jungebat alteram ſororem virtutem charitatem proximi. & quia à circumjecta plebecula victum ſuum aureæ Eleemoſynæ nomine accipiebat, propterea ſtimulabatur titulo gratitudinis, viciſſim de omnibus bene merendi. erat omnibus mater, erga cunctas benigna, mitis, benevola; nam quicquid acquirebat, id grata rurſus virtutis Circulatione pauperibus refundebat. Precabatur Deum pro omnibus; unde fiebat, ut ſimplex popellus in neceſſitatibus ſuis ad eam, velut commune aſylum confugeret, neque absque notabili ſolatio inde recederet.

MAR.

CAPUT XIV.

Cervus duodecim Lucernis illuſtris B. Iddæ ad templum prodigioſus ductor & de nocte Lucifer.

HAud procul ab ædicula B. Iddæ monaſterium erat ſitum Religioſorum pervetuſti Ordinis & Patriarchæ S. Benedicti, cui ad hæc uſque tempora nomen Fiſchingæ inditum. ad hunc ſanctitatis locum itare ſolebat pia Matrona identidem; nam ſpiritu Dei huc agebatur, tum ut ſacro Miſſæ officio & verbo Dei intereſſet aſſidua, tum ut diviniſſimis ibidem Myſterijs accumberet, & orationi more ſuo vacaret attentiùs, nocte præſertim mediâ, quo tempore pij ejus loci Religioſi de ſomno ſurgere, & velut totidem Cæleſtes alaudæ ſupra terram volatu mentis in Cælum evectæ Deo matutinum canere ſolebant, moréque Eccleſiaſtico nunquam intermiſſo etiamnum piè Religioſéque cantant. Ea pervigil Matronæ pietas adeò Deo cordi erat, ut memorabili in omne ævum miraculo eam confirmaverit: nam continuò ipſi Cervus adfuit raræ magnitudinis, qui in cornutis ramis ſuis duodecim lucernas deportabat, & hiſce radijs ſuis mirum quantum illuſtribus veluti terreſtris quidam Heſperus pro-

gredienti ad templum Iddæ Fiſchingam uſque viam prælucebat. eodem modo & ordine matutino finito idem faciger piam Matronam domum in Augiam per mille paſſus reducebat. quo lucido prodigio mirè gaviſa ſancta Mulier exultabat in Domino, quòd operam ſuam Deo probari perſentiſceret, & quia à Patre luminum magis in animo illuſtrabatur, quàm in exteriore homine, idcirco tanquam vera Lucis filia in Dei amorem majore ſemper æſtu rapiebatur, ita, ut Davidico illo acroamate jure meritiſſimo uti poſſet & dicere cum Coronato Pſalte: quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.

O quàm verè beatus ille homo cenſendus eſt, qui cum ſancta Comitiſſa ſupervacaneis ſe mundi curis & evanidis pompis abdicat, & in probæ conſcientiæ pace ſui ſecurus ſolidum gaudium in uno Deo quærit, ac invenit.

Hîc loci vitio mihi verterē, ſi narrare omitterem, qua ratione benigniſſimus Deus illam ipſam viam, quam B. Idda ex Augia Fiſchingam uſque prævio ductore lucido cervo toties emenſa eſt, anno 1584. identidem novo lumine è Cælo ſubmiſſo illuſtrâvit: quippe, cùm illo ipſo anno Venerabilis P. Stephanus à Mediolano Capucinus & Generalis Comiſſarius duos Juniores Clericos Lucernâ Conſtantiam uſque ad Sacros Ordines deduceret,

ipsique

ipsíque per ditionem Tigurinam profecti editum montem Cornutum magno labore conſcendiſſent, propediem concubia nox bonos Religioſos obruit, ita, ut nullum jam itineris argumentum, aut viæ veſtigium appareret. In hoc articulo deprehenſi quid agerent neſcij ad commune, quod in ejuſmodi caſibus eſſe ſolet, orationis remedium confugerunt. & ecce auxilium Dei in tempore opportuno: nam dum flexis genibus etiamnum Deo ſupplicant, vident è Cælo mirabile quoddam lucis phænomenon deſcendere, quod, velut ignea quædam novi teſtamenti Columna, veros illos Divi Franciſci Iſraelitas viâ Iddianâ Fiſchingam uſque inoffenſo calle deduxit, ubi benignè juxta & hoſpitaliter excepti ſunt. Parad. Seraph. Capucin. p. 2. An. Chriſti 1534. num. 249.

CAPUT XV.

B. Iddæ ſeceſſus in privatam Cellam & voluntaria incluſio. Vita ejuſdem inibi Fiſchingæ ſanctiſſimè acta.

EOdem, de quo egimus, tempore haud procul Fiſchingâ aliud quoque Monaſterium, illúdque mulierum Ordinis Divi Benedicti ſitum erat in planitie, quæ hodiedum à venenerabili uſque antiquitate ſua nomen Domi-

narum retinet. Cùm ergo fama ſanctitatis, quâ Idda celebris eſſe cœperat, longè latéque bonum odorem ſpargeret, ipsáque frequens Fiſchingæ in divinis officijs compareret, factum eſt, ut Religioſis illis feminis Idda familiaris evaderet, familiaritas verò, ut fit, ſanctum quendam amorem poſt ſe traheret. Ergo bonas Religioſas cupido inceſſit non tantùm videndi Iddam crebriùs, verùm etiam totam quantam poſſidendi. quare de communi conſilio ipſi nunciari curant, omnium deſideria eò collimare, ut Iddam non ex intervallo temporum, ſed habitatione perpetua ſecum habere, in eáque tanquam in ſpeculo virtutum continuò omnes ſe intueri & ad imaginem perfectionis conformare poſſent; hoc ſibi ſolatio & honori futurum; quare ne dedignaretur ſedem ſuam transferre & Monaſterij ſui tecto ſuccedere, ibi ipſam quietè & ſanctè victuram, eóque gratius Deo obſequium præſtituram, quò procul à ſtrepitu plures exempli ſui ſtrenuas habitura eſſet imitatrices. Placuit officioſa piarum ſororum invitatio Beatæ Matronæ non unam ob cauſam: nam corpus multâ ſeduláque afflictatione exhauſtum propediem fatiſcebat, accedebant incomoda ſenectutis, quæ ſola quandoque magnus per ſe morbus eſt. deficiebant ſenſim vires, quarum languore perſæpe prohibebatur, quò minus more ſuo ex ſua do-

mun-

muncula'Fiſchingam ad divina officia ſe conferret. Sentiebat præterea è Cælo hoc ipſum ſibi inſpirari, ut oblatam gratiam non recuſaret.

Bonis mentibus facile eſt virtutem perſuadere, ad quam ſuapte ſponte ſine calcari aguntur. Paruit ergo Beata Matrona invitantibus, Monaſterium ſubijt, eâ tamen conditione, ut intra privati cubiculi anguſtias concluſa abſque ſtrepitu degere, contemplationi vacare & ad pedes Domini ſui jacere cum Magdalena quietè poſſet. Exaudita eſt pro reverentia virtutis. datum ipſi cubiculum, quale Eliſæi olim erat in Suna, haud procul à templo, eo commodo ſitu, ut una feneſtella ad meditandam jugem mortis memoriam in cæmiterium & calvarum reconditorium excurreret. Hoc ſacro angulo, velut unio in ſua matrice, & pretioſa gemma in ſuo conchylio debitis Eccleſiæ Cæremonijs incluſa Idda gaudebat cum bono Deo & ſecum ipſa habitare: quem ſuum anguſtum larem igneis jam precibus, velut thure accendebat, paulò pòſt dulcibus lacrymis inundabat, experta cum irriguo vate Jeremia, qnàm bonum eſſet præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Thren. 3. v. 26.

Haud equidem certum omnino exploratúmque eſt, ipſam jam ſeniculam Ordinem S. Benedicti ſuſcepiſſe, nihilominus quia in

Cænobio S. Benedicti una Incluſa fuit (quales olim in hoc ipſo aſceterio plures utriuſque ſexus erant) & ipſa inter D. Benedicti filias vitam ſuam ſanctiſſimè finijt, prout eam allegatus à nobis in Præfatione P. Albertus à Bonſtetten Converſam appellat, idcirco noſtris Majoribus ita in Domino viſum eſt, ut S. Iddam vulgò in habitu S. Benedicti ſeu ſcalpro, ſeu penicillo rudi populo repræſentarent eo modo, quo alibi quoque ſimilis conditionis Sancti & Sanctæ pingi ac ſculpi ſolent, ſicut videre eſt in Recluſa Sanct-Gallenſi Diva Virgine & Martyre Wiborada. cujus rei tamen parũ intereſſe videtur, cùm ſine ullius erroris nota libertas uniuſcujuſque & pietas, uti & artificum latè patens ingenium ſua in poſſeſſione relinquenda ſint. Sed poſt circuitum aliquem ad Iddam noſtram revertamur.

In hac ergo paucorum palmorum cella conſtituta in novum locum cùm novum etiam perfectionis amorem intuliſſet, incipiebat Idda eo fervore Deo famulari, quaſi primùm inciperet, & antehàc nihil unquam boni præſtitiſſet: orationibus ſiquidem, vigilijs & jejunijs intenta creſcebat uſque in perfectum diem Sanctitatis devexa licet jam ætate. Ne verò ſua cauſâ cæteræ ſorores occuparentur, coquebat ipſamet ſibi, quantum ad ſuſtentandam vitam opus erat: locus enim ipſi aſſignatus eo modo comparatus erat ut non modo

obſigna-

obſignatum haberet Cubiculum, verùm etiam culinam parvulam à reliquis ſeparatam, ne clauſtro ſuo egredi unquam cogeretur. Quantum ad victum attinet, ſic exigente ætate & ſenio, accommodabat ſe ſe viribus corporis ſenſim deficientibus; unde, ut non nihil de priſtino eremi rigore bona Matrona remitteret, ſapiens ratio ſuadebat, licet etiam in hoc ipſo vivendi genere minimum corpori (maximo noſtro & domeſtico inimico) indulſerit: nam non niſi ſimplici & parabili cibo, quo pauperes veſci ſolent, ſe ſe reficiebat.

Sanctiſſima hæc vivendi norma oppido Religioſis Virginibus probabatur, ſerviebátq; ipſis pro ſpeculo exemplorum; unde quanta poterant accuratione pro ſe unaquæque ipſi ſerviebat, quanquam humilis ancilla Chriſti omnia ejuſmodi obſequia refugiebat.

Probabile eſt, bonam Iddam ad clatratam feneſtellam, cujuſmodi cellæ tales habere ſolent, ſæpius de rebus divinis cum ſororibus ſapidiſſimè ac cæleſti cum guſtu & pij cordis abundantia ſermocinatam fuiſſe, quo ſancto pabulo & medulla Cedri cæteræ recreatæ in ſervitio Dei novos ſpiritus, novum calorem & ignem ex ore B. Iddæ tanquam cæleſtium deſideriorum folle ſuſceperunt. Viciſſim omnes, quotquot eo in loco & horto concluſo Deo famulabantur, tenera fiducia in B. Iddam, tanquam commune refugium anima-

tæ ſuas neceſſitates ad pedes ipſius deponebant, indéq; maternum conſilium, ſolatium, & rebus arctis optatum auxilium ſecum reportabant. neque mirum, illud oraculum adeò omnibus fuiſſe propitium: quippe nemo alius meliùs conſolari novit, quàm is, qui ipſemet anguſtijs preſſus proprio experimento & artificio didicit, quid ſint adverſa. qua in Tribulationum ſchola B. Idda profectò non unius diei diſcipula fuit, ſed planè Magiſtra veterana diúque exercita.

CAPUT XVI.

Moleſtiæ B. Iddæ à Diabolo inflictæ. Lucerna à Satana ipſi extincta, & à Mortuo quodam prodigioſè reaccenſa.

VIrtus ſine adverſario torpet: & magna agere & dura pati ſolorum Heroum eſt. Hoc ergo habet invidus Diabolus, ut, quos videt ſanctitatis magis ſtudioſos, fortiùs ac ſæpius vexet. Dolebat jam diu Satanæ, conſilium ſuum olim contra Iddam adornatum tam malè ſibi ſucceſſiſſe, boníque majoris fuiſſe cauſam: dolebat, Dei gloriam & proximorum ſalutem per Iddam ampliùs promoveri; unde omnem lapidem movebat & operam, ut uſitatis fraudibus ſuis ſanctam Matronam ſi non à cœpta vocatione & ſancto ſilentio

tio averteret, certè in ea perturbaret, & ad impatientiam redigeret. Ipſius labor erat, piam feminam terrere, conſpicuum ſe dare horribili formâ, plagas etiam intentare. Nonnunquam, prout videbatur, lapides proijciebat in tectum, ſub quo Idda habitabat; ſubinde parietes Cellæ concutiebat; non raro, cùm ad focum ſtaret, alijs moleſtijs ipſam laceſſebat avernalis hiſtrio, ollas evertebat, cibos effundebat, ignem extinguebat, & ſi quid ejuſmodi nugarum eſt, ludio exercebat. At Idda hiſce prælijs quaſi jam aſſuefacta ridebat prolixè vanam ejuſmodi ſine viribus iram, ſpernebat avernales jocos & facetias tanquā ad rem nihil pertinentes: neque unquam facta impatiens pretioſa tolerantiâ meritum virtutis exaugebat. quod ſanè morionem dæmonem, quem à femina toties vinci utique puduit, totum quantum exacerbavit, uſque adeò, ut, ſi Deus permiſiſſet, morte ipſa victricem Iddam è medio ſuſtuliſſet.

Vacabat tempore quodam intempeſta jam nocte orationi pientiſſima Matrona, ore, oculis Cælo imminens, ut tota Deo abſorpta videri poſſet: cùm adeſt iterum Infernalis larva, ſerpens vetus & tortuoſus, Iddámque impedire cupiens illi lucernam, quæ ponè ardebat, putido flatu ſuo extinguit. Citra impatientiam ægrè ferebat hoc factum Dæmonis pia Comitiſſa, maximè quòd in laude Dei

& oratione tam intempeſtivè turbaretur. Zelo igitur accenſa & grandi in Deum fiduciâ munita extinctam lucerná manu apprehenſam per feneſtram exerto brachio protendit, ſimúlque Dei ſpiritu impulſa unum ex mortuis eo in cæmiterio ſepultis voce evocat, cum imperio & mandato, ut ex tumulo quantocius ſurgat & extinctum à Satana lumen in optima forma reaccendat.

Et ecce miraculum grande, inſolens, omnique ævo memorandum! Surgit de ſuo ſtrato & ceſpite mortuus, ſurgit, inquam, imperata facit, extinctum cereum de manu Iddæ accipit, accéſum in manus reſtituit, & lumen, inquit, accipe, Tockenburgus ſum genere; quibus verbis inſinuare volebat, ipſum quoque de linea Comitum Tockenburgicorum extitiſſe. Recepta vivâ & lucente candela mortuo gratias Idda agit pro obſequio, eíque bene precatur, idipſum ſcilicet, quo pij manes vel maximè indigent ad refrigerium, ut Pater Luminum requiem ipſi æternam donare velit, & lucem perpetuam ei lucere clementiſſimè ſinat. quo facto mortuus rurſus ad ſepulchrum ſuum reverſus placidè reſedit, & ſuo ſe tumulo compoſuit, Idda verò tanti beneficij memor, quoad vixit, pijs manibus ſummè addicta ſanctis operibus purgatoriam flammam leviorem reddere & plurimos ex illo carcere precibus ſuis eximere nunquam intermiſit.

Ven-

Ven. P. Albertus à Bonſtetten, de quo pluribus in Præfatione, ſcribit, hunc mortuum candelæ delatorem ipſummet Comitem Henricum fuiſſe. quod ſi ſubſiſtit, Henricum ante Iddam diem ſuum obijſſe, neceſſe erit. Hoc primi ordinis & dignitatis miraculo circa Iddam perpetrato adeò Dæmon fractus exinde domitúſque fuit, ut deinceps incommodis ſuis Iddam laceſſere non auderet, ab eóque tempore ad finem vitæ uſque pia Matrona tot Palmarum heroina tam pace interna, quàm externa ſemper porro gaviſa eſt.

CAPUT XVII.

Obitus Iddæ & Sepultura B. Matronæ.

EXtra dubium eſſe videtur, multa alia præclara ac memorabilia circa Sanctam Comitiſſam eveniſſe, quæ tamen monumentis prodita & conſignata non leguntur; nihilominus in tanto antiquitatis ſilentio, vel hoc ipſum levidenſe compendium, quod huc uſque pertextum eſt, avido Lectori ſufficere poterit. Quantum autem ad beatum ipſius obitum attinet, pretioſa in conſpectu Dei mors Iddæ fuit, illúdque circa illam evênit, quod vulgari proverbio dici ſolet, illum ſanctè mori, qui ſanctè vixerit; nam quædam

vitæ

vitæ Echo pediſſequa mors eſt. Unicum ſanctæ Matronæ deſiderium erat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Et advênit tandem in ſenectute bona optatiſſima illa hora, ut tanquam fidelis ſponſa coronam acciperet de manu ſui muneratoris, coronam, inquam, non ſimplicem, ſed multiplicem fæcundiſſimorum meritorum: vitæ inprimis tanto rigore transactæ, Laureatæ Patientiæ, & cæterarum virtutum omnium, quæ non vulgari luce in Idda ſplenduerunt. Cùm ergo vicinam tabernaculi ſui depoſitionem ſive ex imbecillitate virium, ſive ex vaticinio perſentiſceret, tota in eo erat & aſſidua, ut melleis verbis gratias ageret Religioſis ſuis ſororibus (nam charitas officioſa eſt) pro ſervitijs & obſequijs ſibi præſtitis, pro beneficijs, quibus in domo Dei fuerat liberaliter affecta & culta. Viciſſim illæ pulchro virtutis certamine reddebant Sanctæ gratias pro longo cohabitationis lucro, pro theſauro piorum exemplorum, pro ſucco piæ doctrinæ, pro radijs cæleſtis vitæ, quibus domum totam colluſtraſſet; denique pro cimelio ſacri corporis, quod moritura Idda ipſis relictura erat in pretioſum lipſanum.

Dolor & luctus tum erat Fiſchingæ ex amara ſeparatione chariſſimæ Iddæ, quæ in horas expectabatur. at illa, velut cæleſtis quidam olor, qui in fine vitæ ſuaviſſimè cantare, &

tar-

tardantem mortem cum jubilo advocare ſolet, mente, oculis & totis viſceribus in Cælum intenta nihil de ſe inutili terræ pondere triſtandum eſſe reponebat. Acceptis ſubinde Sanctiſſimis ultimæ luctæ Sacramentis & ſupremis vitæ ſubſidijs tota Cælum verſùs anhela, & multo virtutum cumulo dudum jam æternitati optimè præparata placidiſſimè puriſſimam animam Creatori ſuo in manus reddidit tertio Novembris, die à Commemoratione Omnium fidelium defunctorum proximo. Sacrum ejus Corpus conſuetis Eccleſiæ Ceremonijs Fiſchingæ in laterali templi Luna ante aram S. Nicolai honorificè depoſitum eſt. Atque adeò B. Idda EccleſiamFiſchingenſem in vivis ſua in divinis officijs frequentia & accenſa devotione, poſt mortem verò glorioſo ſuo ſepulcro & patratis ad tumulum miraculis ornavit, atque omnibus celebrem & venerabilem reddidit.

CAPUT XVIII.

Quædam Miracula ad Iddæ tumulum perpetrata, ejúſque cultus publicus.

EX hoc miſerabili mundo, in quem nihil intulimus, nihil quoque efferimus, præter virtutum, quæ una unica fidelis comes ho-

hominem etiam poſt mortem ſequitur. Cùm ergo B. Idda ſanctiſſimam vitam vixerit in terris, eámque ſimili fine coronaverit, propterea magnum quoque ſanctitatis ſuæ nomen & odorem poſt ſe reliquit ſuaviſſimum. Grandis illa æſtimatio in omnium animis, qui ipſam noverant, incredibilem fiduciam excitavit, præſertim cùm in vivis jam prodigijs quibuſdā claruiſſet. nemo dubitabat de illius gloria, nemo de beneficijs per merita ipſius impetrandis. inde fiebat, ut Tumulus ejus tanquam commune Aſylum à miſeris frequentiſſimè adiretur.

Placuit Deo, famulam ſuam ſtatim glorioſam reddere, & lucernam hanc in aureo Eccleſiæ candelabro per prodigia ſublimem extollere, ut luceret omnibus, qui in magna mundi domo ſunt: quæ, dum viveret, in profundā humilitatis vallem adeò ſe demiſerat. Prima ſanitatum beneficia initiò ſtatim à quibuſdam impetrata erant cauſa multorum aliorum ſequentium: nam famâ miraculorum promulgatrice attracti plurimi languidi ad invocationem ſanctæ Matronæ reſpiciebant, gaudebántque ſe exaudiri, ſanari, reſtitui.

Ante omnes verò alios maternam ſemper & beneficam opem à B. Idda retulerunt ij, qui ſpectris ſe infeſtatos, aut gravi cephaliâ, aut leprâ cruciatos ſentiebant.

Poſteaquam ergo authentica miracula ad tu-

tumulum Venerabilis Iddæ perpetrata legitimè cenſa, examinata & ſtabilita in omnem latè Regionem exierunt, auctoritate Ordinarij factum eſt, ut per totam Diœceſin Conſtantienſem Idda pro Sancta coleretur, & de ea 3. Novembris in officio Divino Commemoratio fieret.

Feſtum ipſius Fiſchingæ, Kirchbergæ in foro, quibuſdam in locis ſub Duplici celebratur. Ejus imago jam à majoribus cum radijs & gloria circa caput picta & ſculpta eſt, quemadmodum videre eſt in vita ipſius à Ven. P. Alberto à Bonſtetten edita, & in antiquo ſcuto in Sacello S. Iddæ appenſo Tiguro illuc transmiſſo. Item in pervetuſta tabella, quæ Religioſam Virginem ex Ordine S. Dominici exhibet flexis genibus Divæ Iddæ ſupplicem. Memoratam tabellá venerabilis antiquitatis Mnemoſynon Adm. Reverenda & Prænobilis Domina Maria Dominica Segeſerina de Brunegg Prioriſſa Inclyti Parthenonis vallis S. Catharinæ propè Dieſſenhoffium hodierno Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino D. Abbati Fiſchingenſi Joachimo tanquam ſpeciale donum ſubmiſit Anno M. DC. LXXX. die ſexto Octobris. Eodem anno memorati celeberrimi Monaſterij Fiſchingenſis Philoſophiæ Candidati Præſide Adm. R. P. Franciſco Troger pro ſolenni Curſûs ſui Philoſophici abſolutione eidem, quem paulò antè honoris

&

& debitæ obſervantiæ cauſâ nominavimus, Reverendiſſimo & Ampliſſ. Domino D. Abbati majorem Divæ Iddæ imaginem, in qua ars & affectus in unum conſpirant, & vix non de primatu contendunt, feliciſſimo ſcalpro æri inciſam, patentiq; folio impreſsã dedicârunt, obtulerunt, conſecrarunt nono Septembris, quo die in memorato celebri & inſigni Collegio annus centeſimus & Jubilæus ab inſtituta Confraternitate S. Iddæ, qua potuit ſolennitate & apparatu celebratus eſt. Porro nomen & titulum Sanctæ eidem Matronæ impertit Paulus V. in Bulla Indulgentiarum & Confirmationis dictæ Congregationis. Item Gregorius XV. in dato Brevi, uti & Alexander VII. Clemens IX. & Clemens X. in ſuis Bullis, quibus Indulgentias concedunt omnibus illis, qui Litanijs interſunt ante altare D. Iddæ cantari orarívé ſolitis diebus Sabbatinis.

At non Fiſchingæ tantùm, ſed & alibi per Diœceſin, maximè per Helvetiam D. Iddæ honori ſacella & altaria erecta ſunt, præſertim in Bauen, ubi Pactum Helveticum initium ſumpſit, loco in Cantone Uranienſi ſito. Quæ illiteratæ antiquitatis ſocordia eſt, non extat quidem, quo auctore, & anno hæc S. Iddæ Eccleſia extructa ſit, attamen pervetuſtæ videtur eſſe originis. Initiò parvum & modicum, non niſi unius aræ erat hoc ſacellum. Situm erat loco ſolitario & neglecto. Circa an-

annum 1580. circiter loci illius torrens præter morem auctior quadam inundationis ſpecie illud media ſui parte diruit, quod tamen nõ multò pòſt à quodã Meintalenſi, cujus filius Wilhelmus Bernardus opificio murarius anno 1667. centenarius Jubilæus ſenex adhuc in vivis erat, proprijs tunc ſumptibus reſtauratum, ampliatum, & tribus altaribus, quorum duo conſecrata erant, exornatum fuit. hac ſua in D. Iddam pietate vir probus & rectus promeritus fuiſſe videtur, ut inter Cantonis Uranienſis Provinciales adlegeretur.

Illo ipſo tempore, quo adjuvante pium opus filio ſuo bonus pater antiqui altaris baſin demolitus eſt, magni nominis Reliquiæ ibidem inventæ ſunt, quæ poſtliminio in novam aram tranſpoſitæ ſunt.

Hoc alterum Sacellũ duravit in ipſos quinquaginta años: cùm rurſus ab eodẽ intumeſcente rivo denuò ſolo æquatum eſt. Hoc triſti experimento cautiores facti illius loci accolæ Sacellum illud in tutiorem & æquiorem fundum transtulerunt haud procul à lacu, ſacrâmque ædem tribus itidem aris & non ignobili penicillo exornârunt. qui gratiarum locus etiamnum hodie ſtat, & à copioſo peregrino viſitur propter varia beneficia, quæ largus ibi Deus per modum ſalutaris pluviæ in ſupplices diſpergit. præ cæteris verò inde medicinã referunt mortales ægri, qui dentibus, tuſſi, & febri laborant.

Præterea in oppido Maltera dicto, quod Lucernenſis eſt ditionis, alia Capella extat S. Iddæ ſacra, in qua Diva propitia eſt & magna populi veneratione colitur.

Sed ut ad propoſitum noſtrum revertamur. tametſi poſt mortem B. Iddæ ad hæc uſque tempora multa præclaráque prodigia acciderint, nihilo minus pauca duntaxat infra proferentur in medium, partim quòd à majoribus noſtris non omnia poſteritati conſignata ſint, partim quòd iteratis ſumméque damnoſis incendijs Monaſterij Fiſchingenſis pervetuſta monimenta perierint, & in cineres deſederint.

CAPUT XIX.

Translatio Corporis S. Iddæ & de Miraculo ſacri ejus Capitis ſcitu memorabilia.

MIraculis in dies crebrioribus & magis conſpicuis cùm B. Idda clientibus ſuis ampliùs innoteſceret, & famâ ſua celebrior fieret, crevit etiam honor & cultus ipſius tanquam jam publicè Thaumaturgæ Sponſæ Chriſti. Viſum proinde ijs eſt, penes quos rerum ſumma & poteſtas hujus negotij erat, ſacrum Corpus, quod in vivis digniſſimum inhabitantis Sancti Spiritûs templum erat, de-

de terra effodere, & publicæ venerationi proponere. Sacrum ergo Caput majori imagini inditum & phrygio opere acúq; exornatum eſt ad ſolatium fidelium. At verò quàm mirabilis Deus in Sanctis ſuis ſit & eſſe pergat, novo rurſus prodigio compertum eſt: nam cùm anno MCCCCXIV. ſexto Martij ſub Joanne III. Abbate utrumque Monaſterium Fiſchingenſe ex luctuoſo incendio totum quantum cum omni templi ſuppellectile deflagrâſſet, tertio pòſt die domitis utcunque & reſtinctis flammis ſacrum Iddæ Caput in medijs ignibus triumphans in ſævo illo voracíque elemento illæſum integrúmque repertum eſt, tametſi tota imago, cui inſertum erat, tota quanta cum omni ornatu penitus fuerit exuſta. Placuit nimirum divinæ Providentiæ pretioſum hoc famulæ ſuæ Lipſanum ad ſolatium & cultum ſuarum fidelium, ne conſumeretur, ab edaci flamma ſervare diutius magno & luculento prodigio. Octoginta dein & duobus ab hoc tragico buſto elapſis annis, hoc eſt, añó MCCCCLXXXXVI. Henricus IV. Abbas Fiſchingenſis ſepulcro S. Iddæ novum honorem habuit; nam illud majoribus ſculptis lapidibus, in modum Mauſolæi cujuſdam, præclaro & conſpicuo opere extruxit, qua in forma etiamnum hodie viſitur.

Acceſſit denique toti operi ſua coronis &

cólophon; quando Reverendiſs. Abbas Placidus Divæ Iddæ ſacellum, in quo corpus ipſius requieverat, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto ex anguſtijs ſuis extraxit, ampliavit, & in magnificam formam tribus altaribus ornatam redegit.

Nos hoc loco, cùm de magnifico Sanctæ Matronæ Tumulo agamus, non Epitaphium, ſed hiſtoricum vitæ totius Sanctiſſimè actæ Elogium ad Divæ laudem & pij Lectoris ſolatium paulò elevatiore ſtylo adijciendum cenſuimus. Tu, Amice Lector, illud ſepulchrali lapidi inſcriptum crede.

Siſte Viator!
Sub hoc forti marmore
Sita eſt MVLIER FORTIS,
Columna Patriæ ex marmore SOLIDÆ VIRTVTIS.
Si nomen ſepultæ ſcire deſideras,
IDDA *vocatur hæc mortua,*
Imò non MORTVA,
Quia etiamnum in tumulo SPIRAT *Sanctitatem,*
Et ægris impertit Sanitatem
Medica poſt mortem Prodigioſa.
Nata illa ex Comitibus Kirchbergenſibus
Maior fuit ſuis maioribus,
Quia nobilitatem auxit probitate.
KIRCHBERGA *oriunda*
Ipſo in nomine & Stemmate omen habuit,
Eam magnam olim fore in Dei ECCLESIA.

In

In ſua infantia nihil unquam infantile oſtendit,
Præter ætatem,
Nihil muliebre, præter ſexum:
Corpore MVLIER, MASCVLA erat virtute,
Vera Virago.
Virtute præcucurrit annos,
Necdum perfectè gradi valens.
Properavit ad Sanctitatem,
Quia maturè incepit;
Imò nunquam incepit eſſe Sancta,
Sed ſemper fuit.
Translata in aulam Tockenburgicam
Nupſit Henrico Comiti Comes,
Par pari;
Niſi quòd Marito probior fuerit.
Matrimonium illi non INFOECVNDVM fuit,
Quia MATER effecta eſt pauperum:
Plures actu habuit filios,
Quàm ulla Mater unquam genuit.
Pacificum ipſi fuit Matrimonium,
Quàm diu ſuſpicio exulavit à thoro.
Subintravit Zelotypia,
Exivit amor & concordia.
Incepit FAVSTIS AVIBVS Conjugium,
Sed deſiit cum CORVIS.
Nigra volucris clepſit nuptialem annulum,
Et unà rupit Matrimonij vinculum.
Deſiit eſſe Maritus Henricus,
Quia incepit Conjugis ſuæ eſſe Tyrannus:
Præcipitavit ex arce Henricus Vxorem

Ipſemet actus in ſcelus præceps.
Cecidit ex arce innocens Idda,
Incidit in crimen nocens Henricus.
Eo caſu ANIMIS non concidit Idda,
Licet caderet CORPORE;
Neque enim ille cadit, pro quo Deus ſtat.
Verſabatur hoc modo in PRÆCIPITI vita innocentis Vxoris,
Non tamen Salus,
Ob prærogativam virtutis.
Adſuit cadenti Deus, & incolumem ſervavit à lapſu.
Scilicet hoc proprium Dei officium eſt
Erigere innocentes.
Pro conſervatione innocentiæ ipſa Deo
Miracula venalia ſunt;
Nullibi apparet mirabilior.
Non mirus hic ex alto CASVS piæ Matronæ viſus eſt,
Quæ pridem VALLI HVMILITATIS aſſueverat,
Et eſſe in INFIMO.
Caſus hic fecit DIVORTIVM thalami non vitæ.
Facta eſt Idda VIDVA ante MORTEM Conjugis,
Didicit ante mortem mori ſibi, & Marito,
Vt Chriſto deinceps viveret.
Ne de Marito apud alios conqueri poſſet,
Deſeruit homines,
Nec habuit, cui loqueretur,
Muta, quia Mundo mortua.
Non accuſavit adverſam ſibi fortunam,
Sed tulit.

Eum

Eum in finem
Patientiam pridem domi didicit;
Vt foris exerceret tolerantiam.
Ergo procul ab aula diſceſſit in SILVAM;
Vt inter ARBORES altas in ſanctitate RADICES ageret.
Et reverâ,
Quos in aula experta eſt latrones,
In nemore non habuit;
Actúque ipſo didicit;
Tutiores eſſe virtuti ſilvas, quàm aulas,
FERAS, quàm homines EFFEROS.
Latuit inter frondes in nemore:
VIRIDIS nimirum locus decebat IMMARCESCIBILEM Innocentiam
Ibi tot PALMAS Patientiæ victrix invênit Matrona,
Quot in ſilva ARBORES.
Nimirum in ſilvis ab anachoretis pænitetur,
Quod peccatur in urbibus.
Vixit multis annis Idda in ſolitudine, minimè ſola,
Quia ſemper Deo coniuncta:
Felici commutatione deſeruit COMITATVM Tockenburgenſem,
Vt mereretur COMITATVM Angelorum,
Qui Comitē ſuā ſemper Comitati ſunt Comites.
Inter divitias domi pauper fuit,
Inter paupertatem Eremi dives,
Exul in media patria,
In exilio domi,
Peregrina & domeſtica.

Poſt plures annos in eremo traductos
Placuit bono Deo Innocentiæ Patrono
Famulam ſuam prodigijs illuſtrare.
Divinâ diſpoſitione
Cervus raræ magnitudinis ſactus eſt ipſi SERVVS,
Ille velut quidam ſacer ACOLYTHVS
In ramis ſuis & cornibus
Procedenti ad templum Iddæ
Duodecim ardentes CANDELAS prætulit
VIA illa S. Iddæ, ni fallor, fuit verè Illuminativa.
Habuit hic CERVVS aliquid cũ CORNVTO Moyſe.
Moyſes Cornua in fronte gerens,
Velut RATIONALIS quidam CERVVS
Populum ex Ægypto EDVXIT prævio IGNE;
Cervus Iddæ Matronam duxit in templum
Præviâ FACE.
Niſi ANIMAL fuiſſet hic Cervus,
Vocarem Iddæ Cuſtodem Angelum.
Talem POLITIAM vel in ipſa aula nunquam
Experta eſt Idda ab ullo EPHÆBO, aut famulo.
Placuere hæ duodecim FACES precanti Iddæ,
Nec mirum:
Devotæ mulieres, cùm orant,
Libenter ad ACCENSAS CANDELAS orant.
LVCIDVM hoc erat miraculum.
Aliâ vice
Mortuus quidam ex tumulo ſurgens
Extinctum à dæmone Cereum
Oranti Iddæ accendit.
Idda verò mortuo extinctam vitam.

Eo præſtito charitatis obſequio
Mortuus paulò ante REDIVIVVS
Factus eſt in tumulum RECIDIVVS,
Mortua tandem etiam eſt Idda
In ætate bona & plena;
Mortua eſt, ut vixit,
Hoc eſt,
Sanctiſſimè,
Digna utique longiori vita temporali,
Niſi dignior fuiſſet æternâ.
Quòd ipſa vivat, teſtatur Cælum miraculis,
Quòd mortua fuerit, hic Tumulus Fiſchingenſis.
Adeſte jam miſeri,
Quot quot eſtis ſub ſole!
Fiſchingam accedite,
Vt ſalvi ſitis.
Ex hoc ſuo Tumulo Sācta omnibus ſupplicibus ANNVIT,
Et vel ſolo nomine ſuo dicit ITA.
Præter ſanitates mirabiles
Audite porrò prodigia.
Caput SANCTÆ *auro, cimeliiſque grave*
Licet exortus ignis combureret hæc omnia,
Illud tamen amburi minimè potuit;
Nempe quæ præcipiti manſit illæſa caſu,
Huius lipſana in cineres ut conciderent
Oportebat nequaquam.
Ergo cùm IDDA *ignem coërceat*
Elementum omnium potentiſſimum,
Omninò imperabit & ceteris.
Confide peregrinantium turba.

Aſſuevit Miraculis IDDA,
Eorum plurima perpetravit in vita,
Ita tamen,
Vt ipſamet cæteris omnibus eſſet prodigiū ſummū.
Continuavit miracula in tumulo,
Ne quis eam poſt mortem dicere poſſet incc nſtantem.
Gaude Fiſchinga
Non jam MATRONA tua, ſed PATRONA tua,
Quæ jam in cauſa eſt,
Vt nemo Fiſchingam adire poſſit,
Niſi per Sanctæ beneficia, & prodigia.
Ibi ſepulchrum ejus eſt glorioſum.

CAPUT XX.

Nobiliora quædam miracula ad interceſſionem S. Iddæ perpetrata.

PLacet hoc loco inſigniora quædam S. Iddæ miracula recenſere, eâ fide, ordine & propemodum verbis ipſis, quibus apud Ven. P. Caniſium & R. P. Henricum Murer in Helvetia Sancta deſcribuntur.

I. Habitabant in monte Cornuto ſupra Fiſchingam duo honeſti probique Conjuges. Vxor neſcio qua infirmitate tenebatur, cujus tanta támque dolorifera violentia erat, ut totum alterum latus mancum & inutile ipſi evaderet erepto etiam linguæ officio & poteſtate loquendi. Nihilominus quantumcun-

que

que infirma perſona priſtino vigori eâ ipſa hora reſtituta eſt, quâ ipſius maritus ad tumulum Sanctæ Iddæ pro ea ſupplicabat. Exin uterque conjux Deo meritiſſimas gratias agere non deſtitit, qui tam potentem Medicum in S. Idda ſe oſtenderat.

II. Accidit tempeſtate quadam Raperswilæ, quæ Helvetiæ civitas eſt, ut puſio quidam in magnum vas & dolium aquâ repletum incideret, indéque extractus pro mortuo haberetur. unde mater in gemitus & femineos ululatus ſolvebatur, dolentibus vicem ipſius pia commiſeratione vicinis, qui frequenti numero accurrerant. Rapuit unus eorum in arena conſilium, juſsítque, ut infans S. Iddæ commendaretur junctis in unum precibus. Dictum factum. & ecce! movet ſe infans, clamat, haud ſecùs, acſi ex profundo ſomno evigilâſſet, mirantibus non immeritò prodigioſam S. Iddæ interceſſionem præſentibus.

III. Non minùs compertum eſt, quod narro. Habitaverant Ulmæ anno 1540. duo conjuges. multis annis ipſis ſterile erat matrimonium, & nulla proles. poſteaquam autem munus aliquod S. Iddæ voverunt, bonus Deus eos reſpexit, ut Conjux gravida effecta maſculum partum feliciter enixa ſit. quo facto B. Iddæ interceſſio magis magíſque inclaruit.

IV. Eodem anno vixit honeſta quædam

Do-

Domina Bazenheidâ oriunda Verena Bambergerina appellata. ea malignis quibuſdam puſtulis vexabatur, quæ cenſebantur incurabiles. at verò ubi miſera Fiſchingæ in honorem S. Iddæ officium quoddam cantari juſſit, & vivum quoddam munus ad aram obtulit, ex integro mox perſanata fuit.

V. Venit anno 1518. Fiſchingam perhoneſtus vir IoannesMietlich Nordlingâ oriundus cum quinquenni puello tam miſerè conſtituto, ut nec loqui, nec ſtare aut greſſum ullum promovere poſſet. Vovit bonus vir S. Iddæ mediam ceræ libram, & ſine mora bonus puſio loqui, ſtare & incedere potuit. quod miraculum omnes rei conſcij meritò obſtupuerunt.

VI. Non multò pòſt, añо nimirũ inſequente 1519. honeſtus quidam, Henricus nomine Raperſwila oriundus ad ſacrum Iddæ tumulum ſe ſtitit ob infirmitatem ſuæ Conjugis, cui nullum à medicis & humana arte auxilium eſſe poterat: nam moleſtis puſtulis & alijs doloribus percellebatur. at verò peractâ viri peregrinatione oblato munere & cantato Fiſchingæ officio per interceſſionem S. Iddæ ægra mulier convaluit.

VII. Huic non abſimile eſt & paſſim omnibus compertum, quod accidit anno 1576. cum honeſto quodam Senecione Comitatûs Tockenburgici inquilino. Hic repente orga-

ganum auditûs perdidit, tamq; pertinaciter ſurdus evaſit, ut ne campanarum ſonum, clamorem aut verbum ullum licet intenſum perſentiſceret, in hoc articulo filius pro parente ſuo peregrinationem ad S. Iddam vovit, ſecúmque viæ comitem dulciſſimum parentem traxit. Venit uterque Fiſchingam voti exſolvendi causâ, pulſabatur omnibus campanis ad divinum officium. nihil etiamnum audijt ſurdus. at verò poſtquam ad tumulum S. Iddæ in genua procubuit, propediem recepit ſenſum: nam cùm ad ſacram elevationem rurſus pulſatum eſſet, accepit ſonum pater, & filium ſciſcitatus, ad quid pulſaretur, profeſſus eſt, ſe interceſſione S Iddæ audire, quod beneficium deinceps, ubi ubi poſſet, prædicavit ſuper tecta.

VIII. Triennio pôſt an. 1579. matronæ cuipiam guttur adeò concreverat, ut nullum cibum micâ majorem per illas anguſtias traijcere poſſet: quare, de conſilio piorum, peregrinationem ad S. Iddam vovit, eáque exſoluta ſanitatem recepit.

IX. Poſt hæc an. Chriſti 1586. circa feſtû S. Martini Epiſcopi accidit, ut Sara Künin honeſti viri Joſue Schereri conjux Langenſteinij Comitatûs Tockenburgici in periculoſam cephaliam incideret, cujus doloribus ad clamores urgebatur, & omnem etiam cibum nauſeabat. Cùm ergo intolerabiles capitis

pitis dolores nihil remitterent, vovit, ſe acceſſuram Fiſchingam, & ad Divæ tumulum roſarium flexis genibus recitaturam, voto facto faſſa eſt Sara, ſe intra mediam horã Temperiem capitis recepiſſe; ipſa verò ſequenti añо fideliter peregrinationem ſuam exſolvit.

X. Anno 1609. præſidente Abbate Mathia, degebat in ſervitijs Principis Sanct-Gallenſis Victor Häſſi Glaronâ oriundus, erátque eo tempore Præfectus Schwarzbacenſis, habebátque uxorem itidem Glaronâ oriundam. Cùm ergo ambo conjuges dicto anno Glaronâ Schwarzbachium verſùs equitarēt, & Watwilam jam perveniſſent in pontem Thuræ fluvio impoſitum, neſcio, quo caſu factum eſt, ut Dominæ equus recalcitrans in Thuram deſilierit. Sub ipſum ſaltum Domina ſe S. Iddæ commendat, optato fructu: nam equus mortuus concidit, mulier verò ſalva & incolumis evaſit: quæ ut ſe ſoſpitatrici ſuæ gratã exhiberet, aliquot diebus veneris Schwarzbachio cum filia ſua Fiſchingam contendit, ibique votum ſuum exſolvit, prout ipſamet, ut honorem Deo in Sancta ſua redderet, facta Confeſſione & accepta ſacra Synaxi R. P. Jacobo Buecher tum temporis Conventuali & Parocho Fiſchingenſi facti ſeriem retulit.

XI. Anno Chriſti 1615. ſub Autumnum Fiſchingam venit ad tumulum S. Iddæ honeſtus vir Gallus Hug Azawilâ ex Turgoia To-

be-

belenſis ditionis, cum octenni filiola, cui nomen Eliſabeth, quæ quinque hebdomades anno priore conſtanter cæca erat. at verò ubi eam illo ipſo anno 1614. S. Iddæ devovit, rurſus oculorum diem recepit. quia verò cunctabundus parens de die in diem votum diſtulit, accidit quoque, ut bonæ prolis infirmitas in dies incrementum ſumeret, ita quidem, ut loquela & vox ipſam deficeret. Cùm verò afflictus pater voti ſui memor in viam ſe dediſſet, & filiam ſecum ad S. Iddæ ſepulcrum detuliſſet, finita peregrinatione equo impoſita tam valens effecta eſt, ut frænum ipſamet apprehendere potuerit, domum poſtliminio reverſa perfectè iterum loqui, cernere & incedere potuit, ita ut ipſamet ex equo deſcenderit, & paternas ædes ſine adminiculo ingreſſa ſit. quod prodigioſum factum oculata multorum præſentium fide fuit teſtatiſſimú. Parens paulò pòſt gratitudinis ergò rurſus cum incolumi filia venit Fiſchingam ad Sanctæ tumulum debitas ibi gratias acturus pro impetrato beneficio.

Hæc ex centenis alijs narrationi noſtræ hîc & nunc ſufficiant, quia compendium, non librum ſcribimus. Sunt quidem longè plura & recentiora beneficia noſtrorum temporum, quæ vel ſcripto, vel votivis tabulis conſignata ſunt, quia verò necdum authentico examine ea approbata ſunt, viſum eſt, ea typo

non

non committere. aliàs compertum teſtatúmque eſt omnibus, quòd pij fideles, qui ſe D. Iddæ interceſſioni firmâ fide & fiducia commendant, in hæc uſque tempora maternam opem & magnas gratias animæ & corporis ab eadem recipiant, prout teſtari poſſunt ordinarij Confeſſarij Fiſchingenſes, qui uno interdum die octo vel novem ejuſmodi impetrata beneficia ex peregrinis intelligunt, quæ ſe accepiſſe à Deo per interceſſionem S. Iddæ ultrò profitentur, & ſancto munere gloriantur. floret porro etiam his ſeris temporibus noſtris nunquam interrupto pietatis ſenſu & ordine religioſa peregrinorum frequentia, qui magno numero tumulum Sanctæ Iddæ ſemper iuviſunt.

CAPUT XXI.

Salutaris vis exempli B. Iddæ, quo multi alij mortalium ad amplectendum Religioſum ſtatum fuere permoti.

VIdetur omnino vero ſimile, quòd S. Comitiſſa Idda ſacro exemplo ſuo velut quadam vi magnetica plures Illuſtres perſonas, ex Tockenburgica præſertim familia ad ſimile vitæ Inſtitutum permoverit: nam, uti ſæpe nominatus Ven. P. Albertus à Bonſtetten meminit, ſucceſſu temporis aliquot Comitiſſæ Tockenburgenſes in Inclyto Monaſterio

Magde-

Magdenovienſi Religioſum Ordinem Profeſſæ ſunt. Etiam alibi invenire eſt Tockenburgenſes domicellas, quæ vitam ſuam relicta ſanctitatis fama obſignarunt. has inter celebrior eſt B. Mechtildis Tockenburgica, quæ in inferiori aſceterio Riderenſi inter Canonicas Regulares D. Auguſtini ſanctiſſimè vixit, ibidémque humata eſt in ſacello ab ea nomen ſortito, & magnis claret miraculis. ad ipſius namque tumulum quatuor energumeni à malo hoſpite, duæ aliæ perſonæ à morbo caduco, aliæ ab alijs infirmitatibus liberatæ ſunt, uni etiam amiſſus auditus reſtitutus eſt.

Huic, de qua ſcribimus, Mechtildi una alia Religioſa ſodalis erat perquàm familiaris, Agnes appellata, quæ B. Iddæ exemplo perpetuæ cellæ includi, & procul à mundi ſtrepitu viva quodammodo ſepeliri voluit, in quo vitæ inſtituto ſanctiſſimè ad finem uſq; vixit. Tumulum ea ſuum accepit in Cænobio Berovienſi Ord. S. Benedicti, ibidémque vulgò pro Sancta colitur. Hæc nimirum ſancta illa erat Converſatio, in qua nobiles & excellentes animæ, terrâ altiores quodam duelli genere certabant, quæ illarum in apice perfectionis evaderet præſtantior. Cenſui autem, nullo alio loco honorificam earum mentionem commodiùs inſeri potuiſſe, atque etiam debuiſſe, quàm iſto; nam magna virtus non ſilentio, ſed imitatione coli debet. nunc ad

F ſalu-

ſalutaria documenta, quæ ex vita S. Matronæ noſtræ utiliter excerpi poſſunt, ſtylum noſtrum convertamus.

CAPUT XXII.

Salutaria documenta ex præſenti Hiſtoria & Vita S. Iddæ deprompta.

SAncti Electi Dei in Eccleſia haud ſecùs fulgent, ac ſtellæ in Firmamento Cæli, quod ſupra capita noſtra illuſtri tabulato ſplendet. Illi à Deo nobis ad venerationem & imitationem propoſiti ſunt, ut in ipſorum ſanctiſſimá vitam intuentes, velut in magnum quoddam ſpeculum faciamus ſecundùm exemplar, quod ipſi nobis, dùm viverent, exhibuerunt. Cùm ergo in præſenti hiſtoria plurima occurrant, quæ in uſum noſtrum & documentum trahi poſſint, viſum mihi eſt, è re noſtra fore, ſalutaria quædam puncta inde ſeligere, ut nimirum, quemadmodum mirabilis ille cervus duodecim Luminaria S. Iddæ prætulit, & cæca nocte viam ipſi præluxit, ita nos quoque vigiles quoſdam doctrinæ radios ex vita ipſius depromptos morali doctrina accenderemus, quorum beneficio per obſcuras hujus vitæ & plùs quàm Cimmerias tenebras ad felicem æternitatem & Patrem Luminum pervenire poſſimus.

§. I.

§. I.

Documentum I. pro Superioribus,

uti & pro illis, qui iniquo judicio preſſi contra jus & fas condemnantur.

ET quidem in perſona Henrici Comitis, qui tam turpiter in caſtigatione innocentis venatoris & lectiſſimæ ſuæ Conjugis de ſemita juſtitiæ exerravit, dum in ambos adeò crudeliter in ipſo iracundiæ æſtu & furore animadvertit, diſcant ſuperiores & Magiſtratus, 1. ne ullum mortalium, quorum vita pretioſa eſt, durante iracundiæ motu puniant, quantumvis reus ſit, ſed ſpatium inquietæ choleræ permittant, dum iracundiæ effrænis illa paſſio ſubſederit, & poſt iracundiæ nubila ſuus rationi Phœbus & dies redierit: nam prædominante irâ nihil bene, nihil conſultò & ſapienter agitur. aliàs ubi hoc non obſervatur, ſæpe ſæpius innocens patitur, contra juſtitiam delinquitur, conſcientia læditur, & præproperâ feſtinatione apud Deum juſtum Judicem gravis vindicta incurritur. Sed neque parentes decet, ut culpabilem & degenerem ſobolem durante iracundia corrigant, affligant, & puniant, quia iracundis difficile eſt modum & debitum temperamentum ſervare.

2. Ij, qui aliorum judices conſtituti ſunt, meminerint, duas ſibi aures eſſe debere, unam accuſatori & actori præbeant, alteram reo & accuſato ſervent. Omnino ſtudeant, ne uni plus parti tribuant, quàm alteri, ſed æquilibres in perpendiculo ſe retineant. eadem patientiâ excuſationem excipiant, quâ accuſationem audierant, & lucido rationis oculo, non verò turbida paſſionis nebula, quod affertur & proponitur, aſpiciant, ſi coràm ſupremo judice Deo bene ſtare velint, & excuſati eſſe cupiant. Divinæ Sapientiæ eſtatum eſt: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

3. Pari modo inexcuſabiles judices evaderent, ſi judicialem proceſſum ab ipſa ſtatim præpropera executione ordirentur, & poſtea primum in rem ipſam inquirerent, commiſſóſque in ipſo judicio errores palliare, ac neſcio quo fuco colorare præſumerent. quo modo Henricus ſanè graviter deliquit.

Ex altera parte illi, qui, permittente Deo, iniquo fortè judicio opprimuntur, meminerint dulciſſimi Servatoris ſui Domini noſtri JESU Chriſti, qui tametſi innocentiſſimus, imò innocentia ipſa fuit, in plures iniquos judices incidit, & ab ijſdem ad ignominioſiſſimam mortem condemnatus eſt. Meminerint, inquam, exempli Servatoris, Apoſtolorum, Martyrum, atque etiam B. Iddæ noſtræ, aliorúmq; pænè infinitorum, qui eadem paſſi

ſunt;

ſunt; ſculpant ejuſmodi miſeri de neceſſitate virtutem, rem Deo committant & poſſideant in patientia animas ſuas, donec patronus Innocentiæ Deus veritatem in lucem proferat; tum ſe publicè triumphaturos, & injuriam in mundi theatro ſibi in gloriam ceſſuram ſperent. Hoc quotquot agunt, ſi conſcientia in alijs ipſos non arguat, eò plus coronarum metent, quò amplior fuit ferreæ patientiæ ſeges.

§. II.

Pro Divitibus.

SAncta Comitiſſa Idda ditiſſima juxtà erat & nobiliſſima, Matrona multarum opum. erat illi pretioſus muliebris mundus, erant monilia exquiſitæ artis, erant cimelia, circumfluebat honoribus, ſedebat in medijs delicijs, ambulabat in croceis. at quid ex tota hac mundi pompa tandẽ habuit lucri, niſi pediſſequas curas? Comites tribulationes? Cruces plurimas? Certum eſt, ubi divitiæ affluunt, ibi abundare & labores, ſolicitudines atq; dolores. unde ſtatus divitum, ſi animã ſpectes, lõgè periculoſior eſt, quàm pauperum, vel ipſius æternæ Sapientiæ teſtimonio omni exceptione majore. Bona terrena media eſſe oporteret æternæ ſalutis, at plerumque ſunt impedimenta. O quantum aberrant divites &

opulenti, qui tota mole luto divitiarum ſuarum immerſi tanto ſtudio terrena appetunt, quærunt, per fas & nefas corradunt, & minimam interea animæ ſuæ (proh quàm miſellæ) curam habent, licet pretioſiſſimæ. hinc refrigeſcit in ijs charitas, vileſcit ipſis Deus, guſtus rerum cæleſtium perit, oratio diſplicet, verbum Dei redditur inſipidum. hinc ſi feſtis diebus quandoque Religioſus locus viſitandus, Roſarium, aut pius libellus in manus ſumendus foret, ſtatim ſe curæ ſæculares importunè intrudunt, quæ locum non relinquunt ſalutis negotio, quod tamen negotium eſt negotiorum, quo unicè Cælum conſtat. Modò prædijs bene proviſum ſit & pecori, modò oves fœtoſæ in egreſſibus ſuis, modò boves craſſæ, modò promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud; modò arcæ & Mammonæ conſultum, modò ſaginæ corporis & annonæ bene ſit, modò debita ritè collecta ſint, modò uſuræ procedant, vivunt ipſi contentiſſimi, quicquid agatur circa animam & virtutem, quæ ab iſtis Euclionibus aut prorſus negligitur, aut certè non niſi poſt nummos præpoſterè quæritur. Quòd ſi autem hic noxius Mundi amor ſemel animum ſibi vendicavit & poſſedit, conſequens eſt ſalutis noſtræ præſidia, hoc eſt, Sanctiſſima Sacramenta aut nunquam uſurpari, aut certè perfunctoriè & non niſi ad ſpeciem politicè

ma-

magis, quàm religiosè, utinam etiam non quandoque indignè & ſacrilegè adiri, quia vel accipiuntur ſine præparatione & pænitentia, vel cum neglectu neceſſariæ charitatis, veri propoſiti &c. Econtra ejuſmodi curvæ in terrâ animæ & cæleſtium inanes ſæpiſſimè incidunt in magnas turbas, cauſas forenſes, lites & rixas tribunalium, ex quibus non niſi internecina odia, tricæ, faſtidia, rancor, indignatio propter Meum & Tuum, frigidum illud verbum naſci ſolent. Ægrè ipſis eſt regnante intùs invidiâ, ſi alijs bene eſt, ita, ut præ livore vix non crepent medij, & cor in mille fruſta diſſiliat. Animus ipſis eſt perturbatiſſimus, ut ne unum bolum, aut micam ſalis quietè lingant, nunquam recurrentibus animi ſpectris ſecurè dormiant. Cùm indigo Eleemoſyna danda eſt, habent liberalitatem pro jactura, & timent, ne ipſi per mendicos mendici fiant. quòd ſi aliquid tandem parciſſimè dederint, id faciunt nõ ex pulchritudine virtutis & amore pauperum, ſed ob vanam vaniſſimam gloriam, quia videri cupiunt, vel cum impatientia & indignatione, ob quam omnis decor, elegantia & nativus color virtutibus perit. Quòd ſi verò damnum aliquod aut infortunium, cladem & jacturam patiuntur, deſpondent animum, conqueruntur, gemunt, triſtantur, quaſi de Capite & Summa rerum periclitarentur. Habent

bent ergo iſti infelices terræ & Mammonæ filij nullam veram in hac vita lætitiam; an ibi habituri ſint, vehementer ſubſiſto. Bonus ſincerúſque Chriſtianus, qui credit, quòd Deus verum ſummúmque Bonum ſit, quòd item non alibi, quàm in ſola & æterna Beatitate verum, ſatiativum, ac conſtans gaudium inveniri poſſit, non habet anſam & rationem, cur vel de terrena & evanida proſperitate admodùm gaudeat, vel de temporaria adverſitate multùm doleat; nam qui hoc agit, manifeſtè ſe prodit, quòd humilē animum & humi repentem ſenſum nactus pluris faciat peritura bona, quàm permanentia & ſempiterna.

Beati autem illi ſunt divites, quibus largus Deus incrementum opum dedit, quibus cùm divitiæ bono titulo partæ affluant, cor tamen non apponunt & cum Jobo utriuſque fortunæ ſpeculo dicere poſſunt, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit Nomen Domini Benedictum. Jobi 1. Ejuſmodi divites non tam ſibi, quàm Deo divites ſunt; nam opes iſti ſuas fœnori divinæ gloriæ elocant, nihil luxui ſupra ſtatum, ſed neceſſitati tribuunt. Iſti omnibus bene volunt, neminem contemnunt, & mitem ſortiti animā indigentibus de ſua adipe in tempore ſubveniunt; primam curam iſti animæ & conſcientiæ, cujus puritati ſtudent, impendunt, alteram & moderatam quidem œconomiæ tranſcribunt. Neque illis ſatis

eſt,

eſt, ut ſibi duntaxat privatim pij ſint, ſed conſpicuis exemplis publicè datis in pluribus inſuper bonum promovent, malúmque arcent & impediunt. Tanti non ſunt ipſis lubrica & brevis ævi bona ac opes, ut propter illas divina officia negligant, aut Sacramenta omittant. Si quæ bona de prodiga Dei manu accipiunt, gratias largitori agunt; ſi quæ ipſi iniquitatē temporum perdunt, novercalem fortunam non arguunt, ſed itidem paternum Dei digitum adorant, oſculantur, venerantur, exemplo contentiſſimæ Iddæ, quæ eodem vultu ſcivit & abundare & penuriam pati. hi hi verè divites ſunt & abundantes divitijs, ſpiritu verò Evangelicè pauperes, quorum, tanquam proximorum Chriſti hæredum propriè eſt regnum Cælorum.

Quantum ad pretioſas veſtes attinet, certum eſt, Iddam in hoc punĉto tam fuiſſe religioſam & ſobriam, ut non niſi ad Dei gloriam & honeſtatem ſtatûs ijs uſa fuerit. Sed meritò dolendum eſt, quòd tot vaniſſimi & inflatiſſimi mortales ſub ſole ſint, qui planè in hoc ſtudio ſunt nimij. major his cura eſt ornatus externi, quàm interni: magis ſatagunt, ut veſtis munda ſit, quàm anima. modò veſtimenta fulgeant & niteant, parum ſoliciti ſunt de maculis animæ, quocunque de luto vitiorum ea ſordeat, cùm tamen veſtes defluant, atterantur, veteraſcant, animæ verò

immortales ſint. Ejuſmodi humani pavones ſub pretioſa & variegata veſte ſordidiſſimam abſcondunt animam, eámque ad Dei uſque nauſeam circumferunt. Haud equidem ulla lege humana vetitum eſt, quò minùs homo mundè, honeſtè, & ſtatui ſuo conformiter veſtiatur, ſed bonâ id intentione fieri debet, caveríque ſolicitè, ne faſtus aliquis ſub ſpecie boni, aut ſcandalum irrèpat. Ante omnia verò ſatagant mortales, ut animam, illam divinæ auræ particulam & Dei effigiem pretioſis potiùs virtutibus, quàm ignobile corpus delicatâ materia veſtiant atque circumdent.

§. III.

Pro Pauperibus.

PAuperes, quos Chriſtus dixit, nos ſemper nobiſcum habituros, ſive illi, qui è piorum eleemoſyna vivunt, ſive ij, qui manuum labore ſe ſuſtentant & in ſudore vultûs pane ſuo veſcuntur, ſingulare planè ſolatium habere poterunt, ſi meminerint, quòd etiam Dei Filius Chriſtus JESUS pauper fuerit, qui cùm eſſet dives, propter nos egenus factus eſt, cujus ſanè ſtrenua imitatrix Idda noſtra fuit: nam cùm ipſa poſt exilium ſuum ad Comitem & delicias priſtinas redire poſſet, elegit tamen raro exemplo inopiam, & de Eleemoſyna vi-

vere

vere perrexit, ex magna domina facta reliquorum ancilla, ex Comitiſſa facta mediaſtina.

Teſtatiſſimum eſt, quòd paupertas regia via & manuductio quædam ad Cælum ſit, & quòd illi, qui æquo animo inopiam ſuſcipiunt, contemptum patienter ferunt, in patria olim magnam mercedem & honoré recepturi ſint. quòd ſi verò coacti & ſerviles quidam animi ſint, qui paupertatem, non tanquá donum, ſed tanquá ſupplicium ferunt, eandé velut malá ſtrigé oderunt, & medijs non ſatis honeſtis à ſe amoliri contendunt, illis non tantùm nihil ſolatij & prœmij ex inopia venit, verùm etiam ſuo tempore impatientiæ pæna accidet. Ex quo manifeſtê colligitur, ejuſmodi pauperes bis pauperes eſſe, hîc quidem in camino tribulationis, ibi verò in Inferno, aut certè in Purgatorio; cùm tamen ante alios illa ſua inopia facillimè Cælum mereri potuiſſent. quare ejuſmodi tenues homines neceſſitatem in virtutem convertere & miſerias ſuas meritô quæſtuoſæ patientiæ inaurare deberent, ut volentes paterentur, ad quod nolentes ferrea & inevitabili neceſſitate adiguntur.

Porro hi ipſi Codri juxta doctrinam Chriſti non nimis anxij ſoliciti & craſtini ſint, quid manducaturi ſint, ſed forti in Deum communem altoré & nutricium fiducia & ſpe ferantur, in quo mitem clementémque parentem inventuri ſunt in tempore opportuno. Si

enim

enim cæleſtis Pater verè pius, verè miſericors volucres Cæli & pecora terræ paſcit, nunquid hominem ad imaginem ſuam creatum deſeret?

At verò, his non obſtantibus, magnoperè iſti intelligant, velim, laborandum ſibi eſſe manibus, dum vires corporis, ſolida brachia, & bonos lacertos habent, aliàs enim defoſſi talenti rei forent, ſi voluntario otio ſe ſe dederent, merâ deſidiâ torperent, & neceſſario pane egentiores & corpore inutiles defraudare præſumerent.

Meminerint inſuper pro coronide hujus materiæ etiam illud, quòd ſi Deus in arcano ſcientiæ ſuæ ſenatu videret, opes ipſis ad ſalutem magis profuturas, quàm paupertatem, utique Providentiæ ipſius nec occaſionem defuturam, nec modum, quo egentiſſimos & lacerrimos Iros momento temporis de lacu miſeriæ ad magnas divitias levare & ſuſtollere in altum poſſit. Cùm verò clarè is videat, paupertatem multis ad ſalutem longè aptiùs ſervire, quàm opes, hinc tanquam benignus Medicus ſubducit bona temporalia ceu noxia quædam edulia morbidis animis, ut largiri cum tempore poſſit ea, quæ ſunt altioris ordinis, hoc eſt, ſempiterna.

O quàm multi hodiedum non arderent in Inferno, niſi fuiſſent opulenti. Præſtat utiq; cum paupere Lazaro hic pati, & teſtâ ſaniem

ra-

radere, eſurire & ſitire, & poſtea Angelicis manibus in ſinum Abrahæ deportari, quàm cum divite epulone hîc byſſo veſtiri, vivere quotidie ſplendidè, delicijs circumfluere, cuticulam curare, paulò pòſt verò in Inferno ſepeliri & æternum pati. Satis dives es, quiſquis es ô homo, ſi hic pauper, ibi dives es. nulla in Cælo paupertas eſt, quia ibi ſtatus eſt omni bonorum congregatione perfectus. gloria & divitiæ in domo Dei ſunt.

§. IV.

Pro Conjugatis.

ANte conjugium Idda erat innocentiſſima Virgo, in matrimonio ſanctiſſima Conjux, poſt Conjugium Apoſtolica vidua, ob hoc ipſum fortaſſe plures ſtatus ſuavi Dei permiſſione experta, ut non eſſet ſimplex virtutis & imitationis exemplum, ſed multiplex. Comitem maritum amabat ipſa, uti par erat, ceu membra corporis humani Caput, viciſſim quoque Marito ipſa in amoribus erat, donec malignantis naturæ ſpiritus zelotypiæ concordiam evertit, & Diabolus ſuſurrone cubiculario uſus ſanctiſſimum illud matrimonij vinculum rupit. Matrimonium, magnum, ut Apoſtolus loquitur, Sacramentum, & multis quædam ad Cælum ſcala eſt. eligendus

hic

hic ſtatus eſt magna cum deliberatione, cautela, præſcijs parentibus, & non niſi conſulto priùs Deo, ſine cujus gratia & auſpicijs nullum ſatis felix & fauſtum matrimonium eſſe poteſt. Promiſſio conjugalis fiat ex ritu Eccleſiæ coram idoneis teſtibus, non clam & in angulis. Priuſquam ſponſi in facie coram Sacerdote & Eccleſia in manus conveniunt, novos nuptos continentes, modeſtos, Sobrios & bonæ famæ eſſe oportet, ut Deum inprimis matrimonij conciliatorem, dein etiam teſtimonium bonæ conſcientiæ habeant, quòd nimirum honorabile connubium adeant, & thorum immaculatum.

Veri bonique Conjuges attemperatis viribus alter alterius onera portent, & jugum matrimonij ſuave & pondus leve reddere ſatagant. mala proinde & bona de paterna Dei manu ſuſcipiant. Curent accuratè, ut, quod ſtipulata manu ſanctè coram Sacerdote invicem voverunt, hoc eſt, mutuam Matrimonij fidem, eandem inviolatè ſervent; nimirum, ut vir tanquam caput mulieri antiſtet, eam alat, & ceu cor unum & anima una in binis corporibus foret, eam amet ut carnem & coſtam ſuam, eam cuſtodiat, diligat, velut Chriſtus Eccleſiam. Mulier viciſſim, tanquá imbecillius vaſculum marito ſuo pareat, amantem redamet, colat, veneretur. Has regulas cùm ambo Coniuges ſervant,

tunc

tunc in pace ſunt, & habitant jucundè, quia vera Charitas omnia ſuffert, & forti patientia etiam adverſa facilè concoquit. ejuſmodi Conjuges nō ſine cauſa ſperent, fore, ut auxilium ex alto præſentiſſima ope ipſis adſit, cum ijs laboret, & opus ſanctum perficiat.

At verò ſi conjuges fiducia careant, ſi ſuſpiciones & peſſimum Zelotypiæ ſpiritum in animum admittant, ſi mendaces linguas audiant, ſuſurronibus credant, ſi vir aliam, mulier alium in deſiderijs & amoribus habeant, ſi malè ſe nupſiſſe poſt factum ſibi perſuadeant, ſi putent, à Deo ſe non conjunctos, ſi propterea in perpetua inquiete & diſcordia, velut duo contraria elementa vivant, ſi mutuò malè dicant; illud enimverò miſerabile & inauſpicatum matrimonium cenſeo. Ubi vir prodigus eſt & ventri ſtudet, uxorem & liberos malè tractat, famem pati & digitos ſugere ſinit; ubi in adminiſtratione domûs ſe ut Tyrannum gerit & Leonis inſtar eſt domeſticos ſuos evertentis; ſi viciſſim uxor rebellis ſpiritûs eſt, ſi in virum ringitur, ſi litigat, murmurat, grunit, ſibilat, ſcabit, fremit: in ejuſmodi profectò domo nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Ejuſmodi Conjuges Deo odioſi, vicinis riſui & cachinno ſunt: iſti malam crucem Diaboli bajulant; iſti ſibi & ſoboli ſuæ (uti diverbio dicitur) infernales placentas pinſunt & dæmonis triumphalem

Cur-

Currum velut inſipientia animalia trahunt. O infortunatos mortales! Charitas Regina virtutum eſt, & quicquid charitati contrariũ eſt, illud & peccatum eſt; cùm ergo hi charitate deſtituantur, non ſunt in conſpectu Dei gratioſi.

Quare conjugatus quivis ſalutis ſuæ amans eſto. ſi viderit unam partem errantem, bonis verbis errori medeatur, & lucretur Conjugem ſuum; ſi emendare contumacem errorem non poſſit, heroicâ ſe patientia armet, neceſſitatem in virtutem transfundat, obmuteſcat, rem bono Deo commendet.

Meminerit pius ejuſmodi conjugatus, utique conducibile non eſſe, ex uno damno duplex efficere & mala geminare, quod tunc fit, quando verbis nihil proficientibus una pars alteram ad maledicta laceſſit, in arenam provocat, in decretorium campum citat. Præſtat ergo, ſilere; nam ſilentium non tantùm utilis matrimonij virtus eſt, ſed unicè propè neceſſaria, ceu arti Muſices ſuæ pauſæ, & quoniam nullum verè ſolidum gaudium eſt, nullæ veræ opes; idcirco per victricem patientiam hæc pretioſa munera comparentur.

Quòd ſi conjuges (uti homines ſumus & nihil alienum ab homine ducimus) quandoque ſe invicem offendant, pari rurſus celeritate ſibi ignoſcant; & Deo pro mitiore ſpiritu ſupplicent. Hac ratione non una mulier

ſuum

ſuum degenerem auſterúmque virum utiq; in meliorem verteret, malúmque in bono vinceret, cùm alio modo, latrando videlicet, quiritando, interpellando, altercando, mordendo coronam patientiæ funditùs perdat, & domeſticam ætnam magis magiſque accendat.

Supereſt, ut conjuges etiam magnopere intelligant, amorem ipſorum debere eſſe perpetuum, nec ullo limite juventutis circumſcribi, quàm diu ſpecies integra & florida eſt, nec ſanitati alligari, quàm diu corpus in ſucco eſt, ac viget, nec ſolâ proſperitate definiri, quàm diu fortuna ridet; ſed charitas tunc longè accuratior & notabilior eſto, cùm neceſſitas ingruit, cùm indiga ſenectus obſequia poſcit, cùm deformitas & infirmitas ſuadet; nam verus amor magis ibi eſt, ubi amat, quàm ubi animat, & magis ſe exerit, ubi plus periculi invenit. Qui alterum amat propter fragile bonum formæ, & pulchritudinem ſpeciémque corporis, propter opes & divitias, is verè non amat, nec ſupra naturam; ipſius amor præciſè naturalis eſt, & humi per lutum repit, verbo, amor non eſt, ſed concupiſcentia, utinam non ſubinde etiam mala, carnalis, obſcæna & impudica. Sacer & cæleſtis amor dona naturæ, præcisè quà talia non reſpicit, ſed altiùs evolat, effigiem Dei in homine contemplatur,

hominem, ceu Dei opus & fabricam, uti Cæli capacem, & Chriſti hæredem conſiderat.

§. V.

Pro omnibus Afflictis.

MAgnas afflictiones corporis & animi Heroica patientiâ Idda pertulit. Vix eſt in homine certius æternæ Prædeſtinationis ſignum, quàm ſi occurrentes adverſitates ſtante & marmorea fronte, animóque æquo excipiat: nam Deus, quos amat, caſtigat, & ſuos non molliter tractat. deciſa res eſt; qui in altero ſæculo ridere & lætari cupit, hîc fleat, neceſſe eſt, & qui ſperat æternam requiem, hic tollat crucem ſuam, & ſequatur Chriſtum viâ ſanguinis: nam, quiſquis es, crede mihi, non eſt mollis ad aſtra via. Cælum roſis non aditur, ſed ſpinis.

Deus ſalutis noſtræ faber in ſua officina diverſas cruces habet, internas & externas, magnas, grandes, mediocres, quibus ſuos à peccatis ſervat, à mundi delicijs abſtrahit, purgat, polit, & velut aurum fornacis examine probat. Uni hanc crucem imponit, alij imponit aliam cujuſvis humeris commenſuratam, ut illam ferat, non ut ſub pondere fatiſcat: nam qui patienter crucem portat, magis ipſe portatur à cruce, talémque

que plùs ornat Crux, quàm onerat. Hinc quivis Chriſtianus maximè ſtudeat, ut Chriſto infirma virium noſtrarum tuenti non obſtrepat, nec ipſi materiam patiendi definiat, multò minùs adverſus ipſum murmuret, quaſi plus imponeret, quàm ferre poſſit dorſum noſtrum. Providentia Dei æqua imbecillitatis noſtræ æſtimatrix eſt, quæ non ſinit nos gravari ſupra id, quod poſſumus. De paterna manu quivis ſuſcipiat, quod ipſi ſubmittitur, firmitérque credat, nullam ulli hominum crucem venire abſque Dei præſcitu, voluntate, aut permiſſione, quia ne capillus de capite noſtro perit, aut folium de arbore cadit, niſi eo ſciente & volente.

Beata Idda noſtra ex occaſione perditi annuli nuptialis & dein inventi ex arce quidem præceps data eſt; at verò hunc illa caſum non in fatum, aut novercalem fortunam retulit, ſed in miram Dei diſpoſitionem, & amicam in eo viſitationem agnovit adoravitque. Quòd ſi ipſa inter honores & mundi pompas conſediſſet, & propinatum ſibi adverſitatum calicem non exhauſiſſet, nunquam ſanè in tantam Sanctam, Deique amicam evaſura fuiſſet.

Non eſt ſervus major Domino ſuo: ſi ergo dilectiſſimus ſervator noſter JESUS tanta ab amicis & inimicis ſuis pati; imò contumelioſiſſimam mortem ſubire & ita intrare in glo-

riam ſuam debuit, cur nobis perſuadeamus, quòd nos malè delicati abſque perſecutione & adverſario eò perventuri ſimus. Qui ſe cruci accommodare nôvit, etiam Cælo novit; qui verò pati non vult, niſi quantum & à quo & quando lubitum fuerit, ille Cælum non meretur.

Qui materia patientiæ caret, ille quoque palæſtra & theatro caret: qui in agone non contendit, is vincere quoque non didicit, qui vincere non didicit, etiam coronari nequit; quia non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit; nam ſoli illi repoſita eſt corona juſtitiæ, qui bonum certamen certat, curſum conſummat, fidem ſervat.

Omnibus denique patiendum eſt, alij plus, alij minus, prout Deus diſtribuit. Nonnulli mortalium multa patiuntur & gravia, & nihilominus cum tota illa adverſitatis ſupellectile magnis ſcilicet ſumptibus Infernum ſibi mercantur, quia impatienter ferunt, quod ferunt, & Deo ipſi iraſcuntur. Hi non glorioſā Chriſti Crucē ferunt, in quo ſigno Pij Conſtantini vincere ſolent, ſed acerbam & plumbeam Diaboli crucem cum ſiniſtro latrone bajulant. E contrario alij eadem patiuntur, ſed alio modo, & patiendo Cælum merentur, quia æquanimiter adverſa tolerant, in ſilentio & obedientia ſibi ipſis fœnerantur. Cùm ergo quædam patiendi neceſſitas nobis incumbat,

&

& nemo, ſive bonus, ſive improbus omni cruci ſubducere ſe ſe, multò minùs omnes occaſiones fugâ declinare queat, conſultum propterea videtur, ut naturæ noſtræ nimis blandæ vim inferamus, & nos ſub potenti manu Dei humiliemus, intuitúque magni nobis propoſiti prœmij viros nos exhibeamus. Simus, obſecro, ſi non cruenti, at certè ſicci Patientiæ Chriſtianæ Martyres in adverſis, in anguſtijs, ídque brevi tempore ad illam uſq; optabilem horam, quam Deus ærumnis noſtris præfixit & ultimam eſſe voluit, ut tali ratione victricem laureolam referamus. Bona conſcientia multa ſufferre valet; at verò quando homo in ſtatu gratiæ non eſt, mirum non eſt, ſi impatiens & puſillanimis evadat, & in Cælum ipſum os ſuum ponat, ac contra Deum murmuret. Nobilis illa herba (Chriſtiana patientia dicta) non omnibus in hortis & pratis ſata eſt; ſpeciale illud donum eſt & magnorum duntaxat Dei amicorum proprium; nec invenitur hæc planta in terra ſuaviter viventium.

Porro homo, cui multæ adverſitates accidunt, ſequentia puncta expendat. 1. Crux, quæ humeros tuos gravat, Crux Chriſti eſt, & de ligno vitæ ſculpta: â Deo venit, uti ſupra dictum eſt, quam ipſe tibi ex ſingulari amore ſubmiſit ad majorem ſuam gloriam, tuam verò utilitatem. 2. Deus tuus in ea ferenda

vult eſſe ſocius, tuus Cyrenæus, paratus tecum partiri onus, paratus tibi dare ſufficientes, imò redundantes vires ad majus tuum meritum. 3. Quævis adverſitas non ſolùm nihil tibi reſpectu Dei nocet, ſed multùm proficua eſt ad æternam ſalutem & gloriá, dummodo patienter feras. ut verò propriè nôris quid è re tua ſit, ut tibi lucroſa ſit patiendi materia, quandoque Patres ſpirituales, Confeſſarios, & viros in via Perfectionis exercitatos tibi conſulendos puta. 4. Veniet aliquando veniet hora acceptabilis, quam Deus ab æterno tibi ſupremam præfixit, in qua omnis acerbitas finem, immenſa autem illa gloria nunquam deinceps terminanda principium ſuum ſumptura eſt. O quantum tibi tunc gaudium erit, ſi modò hîc breviuſculo tempore patiens fueris. econtrà verò quanta pænitudo te obrutura eſt, ſi tua culpa tam exquiſito prœmio aliquando te privandum intuearis.

Expende, quæſo, quàm mirabilis Deus ſit in ſuavi ſuo regimine & modo gubernandi; quàm doctè omnem B. Iddæ adverſitatem converterit in gloriam, quàm felici exitu omnes ejus injurias & tribulationes coronaverit.

Tam optatum & jucundum finem etiam tibi impertiet, ſi tantillo tempore ſuſtinueris, non dicam, integrum crucis ſtipitem, ſed leviuſcu-

viuſculum duntaxat ejus ramum. Et caſu qũo hoc prœmium tibi in vivis non venerit, veniet certè poſt mortem ſatis adhuc citò, quia ſatis bene. vide, ne deſideres adverſitate tua liberari antè, quàm Deus velit.

Sunt ſunt, proh dolor! homines, qui, ubi permittente Deo fortè in infortunium aliquod, aut morbum, aliúdve malum incidunt, valde puſillanimes & anxij fiunt, quaſi propterea Deum offenderint, & inimicum habeant. & hi ſunt, qui crucem pro pœna & ſupplicio, non pro experimento virtutis habent. Hos notare velim illud, quod dicturus ſum, & 1. quidem, quòd bonus Deus ſæpe ſæpius hominem abſq; ullo delicto ex meriſſimo amore affligi ſinat. Ita Beatiſſima ejus Mater, verè dolorum Regina tota vita ſuâ, præſertim verò in agone & morte Filij ſui incredibiles anguſtias, calamitates & miſerias exantlavit, tametſi innocentiſſima & omni peccato fuerit immuniſſima. Gaude ergo & tu, ſi aliquo modo cum Dei matre eâ gratia dignus effeceris, ut cum ipſa ſub cruce ſtare poſſis, uti paſſionum ſocius, ita gloriarum & prœmiorum conſors & particeps.

Pari modo Sanctiſſimus Chriſti prodromus Joannes, S. Job, viva quædam patientiæ incus, S. Tobias, Joſeph Ægyptius & alij propè infiniti cum infortunijs & cruciatibus fortiter luctati ſunt. Et hæc eſt illa toga polymita

mita ac ſpecialis gratia, quâ Deus tantùm ſibi chariſſimos induit ex alto, ut ſelectiſſimi ejus amici ſemper habeant, quæ eius amore patiantur ad majus gloriæ incrementum, augmentum meritorum, ut imagini filij Dei conformes fiant, quemadmodum in B. Idda cernere licet, quam Deus non ex offenſione, ſed paterniſſimo, ut ita dicam, & tenerrimo amore viſitavit.

2. Sed neque inficias ivero, Deum quandoque infortunium & calamitatem aliquam, morbum, aut triſtitiam immittere propter peccata, maximè præterita & olim fortè in primo juventutis fervore commiſſa. Ubi verò hoc tibi accidere coràm videris, magis lætari, quàm triſtari rurſus oportet. Verbera hæc & ictus blandi ſunt, quia ab amante patre proficiſcuntur, non à carnifice: nam, quem Deus hîc punit, ſignum eſt, quòd ei in altero ſæculo parcere velit, exclamante in hunc ſenſum magno Auguſtino: hîc ure, hîc ſeca, ô Domine; modò in æternum parcas.

Nullus dubito, quin teſte propria conſcientiâ fateri cogaris, te vitæ tuæ tempore peccâſſe plurimum & propterea millies Interni reum fuiſſe: imò multi in triſtiſſimo illo damnatorum carcere actu ipſo modò ardebunt, qui tantum non peccaverint, quantum tu: nihilo minus, quæ Dei infinita eſt Bonitas, miſericordia hactenus tibi indulſit, & pænam

illam

illam æternam in leviorem iſthîc patiendi commutavit. Nunquid hic ſpecialis favor eſt? ergo pro eo gratias habe, æquo animo ſuſcipe, & ſummitatem virgæ ejus oſculare, quâ tam paternè, tam benignè vapulas. væ illi homini, væ! qui propter ſcelera ſua hîc non punitur, cui pæna in alteram potiùs curiam & juſtitiæ tribunal reſervatur. Ergo à primo adultimum adverſa hîc immiſſa ſupplicia non ſunt, ſed ſolatia, vulnera non ſunt, ſed oſcula, tormenta non ſunt, ſed fomenta.

Si homo omnes ſuas miſerias & calamitates vel unicâ oratione Dominica avertere & redimere poſſet, profectò id agere neutiquam deberet, uti neque modo quodam præpoſtero ſolatiolum aliquod humanum emendicare, nam, qui gloriantur triumphali Cruce Chriſti, illi plenâ animi reſignatione cum anguſtiato JESU proprio ſanguini innatante in horto dicunt: Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Veruntamen, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Si ergo Deus in tribulatione tibi ſolatium mittit, gratias age; ſi nullum mittit, æquo animo eſto, & cogita, te illud in Cælo accepturum, ubi abundè tibi omnis calamitas omnis luctus & adverſitas compenſabitur. ſi te illius compenſationis per patientiam & bonam conſcientiam capacem reddideris.

§. VI.

Pro ijs, qui à Satana graviter tentantur.

Cùm apoſtatæ Angeli & infelices ſpiritus non ignorent per nos homines ſuas ruinas & vacuas relictas in Cælo ſedes, quibus illi per faſtum & ſuperbiam meritò exciderunt, aliquãdo impletum iri, hinc incredibili cõtra nos invidiâ & odio aduruntur, ideóque tanquam famelici & rugientes Leones circumeunt, ut quærant, quos devorent & ſecum in æternum exitium trahant. Nemini illi parcunt, quantumcunque ſanctus ſit, quin imò impudentiſſimus Satan eò temeritatis devênit, ut ipſũ Dei Filium tentare non dubitârit. quid mirum igitur, ſi B. Iddam ſingularibus inſidijs & fraudibus in corpore & animo circumvenerit. At illa Dei præſidio freta fortiter ipſum rejecit ac ſuperavit.

Qui ergo ab immundis hiſce tenebrarum filijs in animo per impuras imagines & malas cogitationes diverſi argumenti, per invidiam, blaſphemias, & puſillanimitatem multoties tentantur, vel extra animum varijs terriculamentis, ſpectris, clamoribus, objectis larvis vexantur, ij pro ſolatio ſecum expendant, quæ noto. 1. Nequam Diabolus eos, quos

ſcit

ſcit eſſe ſuos, non magnopere ac violenter, ſed levi duntaxat Marte aggreditur, quia aliàs faciunt, quæ Dæmonis ſunt, tanquam obſequioſi ſubditi. at verò illos, quos ſub vexillo ſuo minimè militare, & extra teli jactum poſitos videt, obſervat diligentiùs, arctiùs obſidet, & totis viribus oppugnat. Adeóque pro bono ſigno habere debet is, qui ſe tentari notat. 2. Satanas quantumcunque bellator fortis, & Goliathus ſit, nemini tamen ſive intùs, ſive extus plus nocere poteſt, quàm Deus ipſi permiſerit. 3. Neque fidelis Deus, pius imbecillitatis noſtræ miſerator, teſte Apoſtolo, hominem tentari patitur ſupra id, quod poteſt, ſed facit cum tentatione proventum: nam ubi multæ ſunt tentationes, ibi multæ ſunt gratiæ & præſidia; ubi magnæ victoriæ, ibi amplæ coronæ. 4. Quantumcunque impuræ, ſpurcæ, ſordidæ, propudioſæ ſunt tentationes, quantumcunq; moleſtæ, nihil tamen officiunt homini, quàm diu non placent, imò eò gratiores Deo ſunt victoriæ, quò fœdiores hoſtes; quemadmodum miles duci ſuo charior eſt, qui foris pugnat in campo, quàm qui domi deſidet in pace, Per ejuſmodi tentationes & inſultus homo conſervatur in ſua humilitate & demiſſione, purgatur à vitijs, inſtar vaſis, quod ingeſto cinere, carbonibus, ſabulo perfrictum mundatur à ſordibus. 5. Proprijs ſolius naturæ viribus nequit

quit homo vincere,at verò adjutrice Dei gratia omnia poteſt in illo, qui eum confortat. Decet ergo, ut homo ſuæ tenuitatis conſcius, ſibíque ſoli relictus multùm ſe demittat in ejuſmodi articulo, & Deo Archiſtratego confidat; hoc enim præſentiſſimum, & ferè unicum remedium eſt adverſùs ſuperbum ſpiritum. probatum eſt. Porro quicunque tentatur, ubi tempus prælij ingruerit, peritos animæ duces & palæſtrîtas adeat, atque ab ijs non tantùm modum pugnandi, verùm etiam vincendi diſcat, quibus conſilij gratia tentationis arcanum pandat. Subinde,ubi vis & impetus hoſtilis invaleſcit, ad orationem Dominicam, præſertim illa athletica verba, Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo, confugiat.

Variæ tentationes,pro ratione diverſi morbi, requirunt diverſas medicinas. Nonnulli in ſuis tentationibus mirificè roborantur & ſolidantur memoria Paſſionis Dominicæ,quæ turris eſt, ex qua pendent mille clypei & omnis armatura fortium. Solatio eſt illis, recolere animo luctam illam in monte oliveti ſudore ſanguineo nobilitatam, cruentam flagellationem, ſpineam coronationem & mortem ipſam, quinque ſanctiſſimos corporis divini carbunculos, ſacratiſſima quinque vulnera ceu totidem gemmea ſalutis noſtræ ſigilla, quibus Redemptio noſtra obſignata fuit.

Atta-

Attamen inter omnia victricis Paſſionis arma vix ullum inſtrumentum eſt pugnæ accommodatius & potentius, quàm titulus Triumphalis Crucis. De hoc ſcribit Adamus Wallaſſerus in vit. Chriſti cap. 25. num. 6. in margine libri hoc modo: Quivis devotus Chriſtianus hunc titulum adverſùs omnes tentationes Diaboli corde & ore jugiter ferat: nam, uti devotæ cuidam perſonæ revelatum eſt, Satanas nulla arma Paſſionis Chriſti adeò pertimeſcit & horret, quàm triumphalem hunc titulum. ita ille. Si itaque graviter tentari te ſentis, ora in hunc ſenſum

ORATIO.

JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Triumphalis hic Titulus cuſtodiat me ab omni malo, peccato &c. præſertim ab omni NN. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, miſerere mei & libera me ab omni malo. Amen.

Alij mortalium in graviſſimis pugnis & velitationibus ſuis currunt ad Conſolatricem afflictorum, ad mirabilem Dei Genitricem Mariam, prehendunt manibus ſacrum Roſariũ, & hanc amabilem torquem ex collo ſuſpendunt, nocturno præſertim tempore adverſùs Principem tenebrarum valituram; perſolvunt deinde præclaram illam Eccleſiæ orationem Salve Regina, aliáſque pias precationes,

qui-

quibus fortes ſe fieri ſentiunt. Alij ſe ipſos conſolantur gaudij illius cōſideratione, quod victoribus cælitus promiſſum eſt. alij confortant ſe meditatione ignis Infernalis & infelicium pænarum, quæ illos manent, qui Dæmoni facilè cedunt & palmam adverſario in manibus relinquunt. Denique nonnulli in ſuis tentationibus mirificum levamentum ſentiunt, ſi faſtuoſum & impurum ſpiritum heroico auſu & grandi in Deum fiducia occupent, verbis increpent, ſatyram in illum dicant, & contumelioſis phraſibus, unde venit, in orcum relêgent ac faceſſere jubeant.

Hujus exemplum habes in aureo imitationis Chriſti libello lib. 3. cap. 6. ubi doceris, quo ornatu & quibus metaphoris dæmonem à te amandare debeas. Sic enim illi dicito: vade immunde ſpiritus, erubeſce miſer; valde immundus es tu, qui talia infers auribus meis. diſcede à me ſeductor peſſime, non habebis in me partem ullam, ſed JESUS mecum erit tanquam bellator fortis, & tu ſtabis confuſus. malo potiùs mori, & omnem pænam ſubire quàm tibi conſentire. tace & obmuteſce; non audiam te ampliùs, licet plures mihi moliaris inſidias. huc uſque dictus libellus.

Non oberit ergo, ſed potiùs proderit, ſi execrabilem Dæmonem impura ſuggerentem ſubinde traducas, & ironicè ipſum alloqua-

quaris: Ergóne tu es pulcherrimus ille Lucifer, venuſtiſſimus ſcilicet ille Angelus, magnificus & ſpecioſus illē Cæli Princeps, qui in Paradiſo tanta gloria, tanto decore circumdatus eras & ſedebas in croceis? unde ergo didiciſti amplexari hæc ſtercora, has immunditias, has ſordes, has quiſquilias, & animorum ſpurcitias? ſi talis ac tantus es, tam nobilis, tam Illuſtris, quid tibi cum hoc luto & ſputo, cum hiſce fœcibus & immunditijs? Pfui! pudeat te in omnem retrò æternitatem, infrunite animorum prædo, & dierum malorum nequam ſpiritus; pudeat te putide & fæculente hirce fætoris tui. apage ſis cum tuis peſſimis conſilijs & ſuggeſtionibus in profundum Inferni lacum: ibi ibi te recrea, ibi deliciare, ſi potes, turpiſſime porce & ſingularis Fere. Deus, Conditor meus, mihi elegantiſſimam animam dedit ſine macula, ſine ruga; tu nihil in ea funeſti reperies. infernus domus tua eſt; ibi patria, ibi palatium tuum eſt. apage monſtrum informe, ingens, deteſtabile. Tu verò, JESU, totus pulcher, totus deſiderabilis ſuccurre mihi, veni in adjutorium meum & ſalva me. Tali ratione, dico, ejuſmodi elogijs malignus ſpiritus utiliter ſæpe repelli poteſt.

Recenſita hactenus remedia bona quidem ſunt, at verò plerumque tentationem non ex integro & plenè tollunt, ſed mitigant duntaxat

taxat & vires Diäboli imminuunt. Cæterùm animis nullus concidat, tametſi tentatio vehemens ſit & diuturna. Vas Electionis Apoſtolus Paulus quàm graves tentationes paſſus eſt & ferè continuas, ac, quamvis ter Dominum rogaverit, ut Angelus Satanæ abs ſe diſcederet, exauditus tamen non eſt ad voluntatem, ut exaudiretur ad ſalutem, quia melior ipſi erat glorioſa pugna & victoria, quàm torpens in pace innocentia. Eodem modo, O Chriſtiane mi, ſi tentationes tuæ poſt multas preces, peregrinationes, threnos & lacrymas non conquieſcant, pro certo habe, illas tibi expedire.

B. Idda primùm in ultima ſenectute ſpeciali Dei privilegio à tentationibus plenè liberata eſt, & tu tibi quietem arrogas. vide potiùs, quibus inſtrumentis & in quibus circumſtantijs tenteris, ac occaſiones fuge; aliàs fieri poſſet, ut periculum amans perires in illo, & in foveam, quam tibi ipſi fodiſti, incideres. De cæteris ſalutaribus remedijs porro nihil hoc loco commemorabo, cùm iſta ſimplicibus ſufficiant uti ad ſolatium, ita ad victoriam. Si plura aves, amice Lector, illa facilè à Confeſſarijs & ſpiritûs tui directoribus repetes. Ora interea, ne intres in tentationem, aut, ſi intrâſti, cum palma & trophæo victor exeas.

§. VII.

§. VII.

Pro omnibus Salutis ſuæ ſeriò ſtudioſis.

BIdda, poſteaquam ſemel in Dei ſervitio maſculè ſupra ſexum ac generoſè adolevit, nunquam deinceps à ſuo propoſito neque blanditijs, neq; proſperis aut adverſis abduci in transverſum ſe paſſa eſt, ſed perſtitit in opere immota, petræ inſtar, ad quam ſe fluctus frangunt. Facile multis eſt, bene incipere; ſed perſeverare ad finē, hoc opus, hic labor eſt, & ſingulare Dei beneficium, quare unuſquiſque, cui ſalus ſua cordi eſt, Deum ferventiſſimè oret, ut ab ipſo impetret 1. claram quandam & ſideream lucem, ad cujus radios videat ſuos nævos & defectus, qui impedimento eſſe poſſent in via ſalutis, ut eos per veram contritionē & pænitentiā cognoſcere ac deponere, eàque ratione puram conſcientiam in conſpectu Dei procurare poſſit. 2. Ut impetret gratiam S. Spititûs, cujus beneficio vitam ſuam ad Dei gloriam ordinare & ritè inſtituere poſſit ad ſerviendum Deo in fide & veritate, illúmque amandum purè putè ſuper omnia. 3. Ut impetret ſpiritum novum & principalem, ſpiritum lætitiæ & unctionis, ſpiritum fortitudinis, ut nullius creaturæ mo-

limine & violentia à Deo ſuo avellatur, & ne latum unguem à concepto propoſito diſcedat: nam quamprimùm homo firmiter apud ſe decrevit, fideliter Deo ſervire, adeſt continuò lividus Diabolus, & allaborat varia impedimenta, faſtidia & incommoda interſerere, ut hominem à ſancto propoſito abſtrahat. Scriptum enim eſt Eccli. 2. Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. 4. ante omnia ſatagat, ut homo ſe fundet ac firmet in vera & germana demiſſione animi: nam illa baſis eſt & fundamentum omnis Chriſtianæ perfectionis. ubi demiſſio animi non eſt & humilitas, ibi malis pedibus inſiſtit hominis ſalus. Sancta autem humilitas requirit, ut homo verbis non altum ſpiret, non ambulet in mirabilibus ſuper ſe, non ſit ambitioſus, non ſe circumſpiciat in veſtibus, aut moribus intumeſcat, ut propriam miſeriam & nihilum ſuum, peccata & defectus agnoſcat, quàm nihil ipſe ſit reſpectu Dei & æternitatis, niſi vilis vermiculus. Ut ſit docilis & flexilis, ſinátque ſe dirigi; aliàs enim magnis illuſionibus & deceptionibus ſe ſe exponeret, quia ut Spiritus Sanctus ait Proverb. 16. v. 25. eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem. Ulteriùs magiſtra Humilitas docet hominem, ut is mala omnia, quæ in ſe notat, ſibi ipſi, bona verò omnia au-

ctori Deo adſcribat; ut neminem etſi viliſſimum, contemnat, aut verbo & ſenſu judicet. nam animo penſare eum oportet, ſi quivis alius eos favores & gratias à Deo accepiſſet, longè perfectiùs cum ijs adminiculis victurum, Deóque ſerviturum fuiſſe. Multa alia documenta vera animi demiſſio ſuggeret.

5. Sæpe ſæpius termini ac mortis ſuæ homo ejuſmodi meminerit, & ſupremum exitum ante oculos habeat. ut verò beato ejuſmodi fine eò certiùs potiatur, neceſſe eſt, ut pervigilet & in ſtatu gratiæ exiſtat; caſu quo autem ex humana fragilitate cecidiſſet, non diu peccato inhæreat, ſed quantocius per Sacramentum reconciliationis cum Deo in gratiam redeat, & ſolem ſuper delicto ſuo occidere non ſinat, aut in peccato cubitum eat. Ultimò tandem ac poſtremò Deo frequenter ſupplicet pro dono perſeverantiæ, quia ſola hæc virtus coronatur, & ſine illa omnes reliquæ virtutes nihil, aut parum valent. in hunc finem utilis fortè & opportuna erit ſequens precatio.

ORATIO.

O JESU unicum meum ſolatium oro te & obſecro per illud ſanctæ conſolationis verbum in cruce prolatum *Conſummatum eſt*, concede mihi gratiam, ut toto tibi corde ſervire & demum in ſancta tua gratia vitam meam feliciter finire valeam. Amen.

Poſſent fortè præter hæc longè plura moralia puncta ex vita S. Iddæ excerpta in mediũ afferri, ſcilicet, quâ ratione Divæ exemplum, Caſtimonia tam in cælibe ſtatu, quàm conjugato ſervari, ſacra loca viſitari, orationi & contemplationi in Religioſo ſtatu vacari, vita à ſæcularibus curis abſtracta duci poſſit, & plura ejuſmodi. at verò compendij gratia hæc omnia intermittenda cenſui, cum peculiarem illa tractatum requirere videantur. prudens & benevolus Lector proprio, ut ajunt, Marte ac ſtudio, cum hiſtoriam iſtam legit, has & alias doctrinas ſpirituali ſuo profectui aptare poterit. quod ego huc uſque factitavi, in gratiam ſimpliciorum præſtiti.

DEUS Opt. Max. per merita Sanctiſſimæ Paſſionis Filij ſui JESU Chriſti, in quo bene ſibi complacuit, per merita item Beatiſſimæ Virginis Matris MARIÆ & Electorum ſuorum, maximè Sanctæ Comitiſſæ & Matronæ JDDÆ gratiam nobis impertire dignetur, ut ipſi in hoc ærumnoſo ſæculo ex intimo corde ſervire, in gratia ad finem perſeverare, & denique cum omnibus fidelibus Dei ſervis Beatifica viſione æternum gaudere & clarè intueri, laudare & amare poſſimus. Amen.

:(IHS):

* * *

ORA-

ORATIO
Venerab. P. Petri Caniſij.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui mirabilis & potens es in Sanctis tuis, atque etiam in fideli famula tua Idda magna operari dignatus es, Majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut ſpiritum ejus, quo tibi ſervivit, in cordibus noſtris accendas, & ſanctam ejus interceſſionem ad inſtaurationem corporis & animæ nobis prodeſſe concedas, ut nos à Satana & omni malo cuſtodias, ac in vera fide & omni bono confirmare propitius, ac ſolidare digneris, per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum &c.



CAPUT XXIII.

Hiſtoria S. Iddæ Epico Carmine deſcripta.

IN Prologo monuimus, quòd Venerabilis ac beatæ memoriæ clariſſimus vir P. Petrus Caniſius vitam S. Iddæ conſcripſerit. non minùs hoc loco notum eſſe volo omnibus, & perſpectum, quòd etiam Interpres ejus ſimili affectu erga illam ipſam Sanctam exarſerit, qua de cauſa vitam ipſius Germanicis quoq; rhytmis expreſſit, ut piæ ſimplicium oblectationi gratificaretur. Quoniam verò, uti per ſe patet, non minore elegantiâ Latina Muſa prædita eſt, quàm vernacula, viſum eſt ad implendam omnem juſtitiam, tum etiam ad ſervandam Germanici Authoris methodum eandem vitam Latino, & quantum fieri potuit, ipſo Maroniano verſu cantatam hoc loco apponere. tu, amice Lector, hos flores carpe, & ad ſacram curioſitatem tuam utere.

IDDAM magnanimam, præſtanti corpore Nympham,
Et Gentilitijs titulis, proaviſque vetuſtis,
Sanguine præclaro genitam. cui ſtemma decoris
Fumoſum ceris, cui plurimus Ordo nepotum
Continuâ ſerie longos remanente per annos,

Et

Et generoſa domus meritos afflavit honores:
Inſignem pietate Nurum, quam plurima virtus
Ad Cælum evexit, præclariſque addidit aſtris
Prodigiis celebrem: cuius venerabile Nomen
Stat Superos inter nullis delebile ſæclis,
Inque libro vitæ legitur; quæ ſupplice thure
In terris colitur, noſtros miſerata labores;
IDDAM dicere fert animus. Tu maxima Divûm,
Tu mihi dilecta ante alias Cæleſtis Amazon,
Fax Cæli pretioſa, fave, tu ſuggere verſus,
Tu mihi fac animos, tenuem tu dirige vatem,
Vt tua geſta canam, & ſtabili digniſſima Cedro
Prælia: nam, ſi quid tandem mea Carmina poſſunt,
Per me florebis, per me ſuper aſtra fereris.
Hoc ut agam, mihi cæleſtes affunde liquores,
Parnaſſúmque omnem reſera, ſecretáque Pindi:
Da facilem curſum, atque animis illabere noſtris,
Túque ades, in eptúmque unà decurre laborem.
Eſt Regio. Helvetiam priſco cognomine dicunt,
Diffuſo ſpatioſa ſitu; námque ubere glebâ
Illa patet, numerátque urbes, pagóſque frequentes,
Et fixas ſcopulis arces. natura nivoſis
Montibus incinxit terram, paſſímque rigavit
Fluminibus lacubúſque ſolum, lætiſſima curvis
Paſcua diſtinxit rivis: hinc omnis abundat
Fertilitate locus, paſſimque eſt copia rerum.
Hac olim in patria, dum tempora priſca manebant,
Ora in Turgoica, quam Turrius alluit amnis
Præcipuos inter Proceres, terræq; Dynaſtas
Florentes opibus ſedem fixere vetuſtam

Tockenburgenſes Comites. Arx inclyta monte
Sederat excelſo ſublimibus ardua pinnis,
Quæ natalitio Comitum de nomine dicta
Atria monſtrabat longâ celeberrima ſtirpe.
Hanc arcem Comes inſedit, Clariſſimus Heros
Et bellis & pace potens, partiſque trophæis:
Nomen ei Henricus. (talem dixere parentes.)
Hic æqui rectique tenax, ſanctæq; ſeverus
Iuſtitiæ cultor populos in pace regebat.
At verò, ut ſtirpem, ſeriémque & ſtemma vetuſtum
Prole propagaret, tanto quæ digna parente
Olim hæres, in opes ſuccedere poſſet avitas,
Æqualem ſtatuit thalamo ſibi jungere Sponſam
Florentem ſpecie, ſimul & virtute decoram,
Et reliquis cultam donis, quæ prodiga confert
Sæpe Helenis natura ſuis, cùm divite cornu
Diſtribuit gazas, animúmque ſavoribus ornat.
Has inter Nymphas, quâ non formoſior ulla
Corpore, ſive animo (dotes conjunxerat ambas
Os humeróſque Deæ ſimilis, referénſque Minervam)
Plus IDDA Henrico placuit: nam dignior illa
Virtute & formâ reliquas ſuperaverat omnes.
Nata illa ex Suevis illuſtri ſanguinis ortu
Ex Kirchbergenſi repetebat ſtemmate ſtemma.
Expectata dies aderat, dignóque Hymenæo
Lux decreta diu: thalami cùm fœdere facto
Sponſi convenere ambo, dextraſque dedere,
Idda viro matura, ſuis jam nubilis annis,
Virginis os habitúmque gerens, cui plurimus ignem
Subjecit pudor, & rubicunda per ora cucurrit;

Qua-

Qualis ubi Oceani perſuſus flumine Titan
Extulit os ſacrum pelago, pulcherrima Cælo
Purpura inardeſcit, claráque in luce reſulget:
Talis erat ſpecies, talem ſe læta ferebat
Idda rubens, candénſque ſuo comitata Marito.
Parte alia Henricus pulchris florentibus annis
Inſignis pietate heros, & corpore præſtans
Dexter adeſt Iddæ, dignúſque hac conjuge conjux
Altior exurgens humeris, & vertice toto
Supra extans graditur. Pater illi ex ore relucet
Nativâ effigie; quin & pulcherrima Mater
Formoſo Nato vultum, lumén que juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflavit honores.
Omnia ſemideo ſimilis, vocémque, colorémque
Et crines flavos, & membra pudica juventæ
Adſtitit Henricus, cui blandè arriſerat Idda.
Tempore ſat longo, & multis durabilis annis
Perſtitit hic thalamus, pulchráque in pace quievit:
Cùm Sathanæ tandem doluit tam nobile vinclum
Connubii ſtabilis. quare diſrumpere firmum
Omni operâ nodum ſancti decrevit amoris.
Nec fraudes deerant, ſtygióve venena Draconi.
Olli mille artes: cùm ſe ſe vertit in omnes
Proteus anfractus, & tempora quærit agendi
Opportuna dolis, non illo aſtutior ullus.
Tempus erat calidum, & maturis ſolibus æſtas
Omnia torruerat, Cælóque potitus aperto
Igneus ardenti latrabat Sirius aſtro.
Hoc opportunum pretioſis veſtibus Idda
Soli exponendis, aurâ ſpirante benignâ,

Eſt rata, ne vitium bombycina paſſa ſupellex
Deterior fieret longo concluſa veterno,
Si nunquam ad Zephyros res luſtraretur apricos.
Materiam ergo omnẽ Phrygiam, & mundũ muliebrẽ
Congerit Idda ſuum, pretioſa monilia, gemmas,
Sardonyches, onychéſque, auròque nitentia vaſa,
Cimelia & torques, lucenti efficta metallo
Coniicit in cumulum, Cælóque exponit aperto,
Nullo oculato Argo, nullo cuſtode relicto.
Viderat has merces Corvus de gente rapaci
Aligerum, furtis aliàs aſſueta trahendis
Sponte clepax volucris. placuit conſpecta ſupellex
Pennato furi. quare officioſus in omnes
Se ſe circumagit partes, gyróque rotundo
Iam ſe ſe librat, paulò pòſt conſidet arce,
Mox iterum volat, inſidias ſcrutetur ut omnes;
Denique prædo ſagax ſe ſe demittit ab alto
Illectus ſpoliis, roſtróque inſtructus adunco
Quid ſecum ferat, explorat, perſtátque tuendo.
Præ reliquis aurum placuit, pucherrimus arte
Annulus, inſignis pretio, gemmáque coruſcus,
Annulus ille ipſe, Henricus quo junxerat Iddam
In ſponſam ſibi perpetuam, fidámque maritam.
Hunc rapit, & curvo prædator corvus in ore
Deportat ſecum, nidóque reponit opaco,
Quem ſibi non procul excelsâ conſtruxerat Orno
Iam ſobole implumi plenum, pulliſque refertum.
Interea Comitis venator ad omnia ſolers
Munera ſilvarum, virides egreſſus in agros
Vicinum ſubit in nemus, & frondentia circùm

Mæ-

Mænala veſtigat, fidâ comitante Lyciſcâ,
Si fortè inveniat prædam jaculator aprugnam,
Auritum leporem, aut rubicundam tergore vulpem.
Dum ſic progreditur, ſe ſéque indagine laſſat
Venator cupidus, confuſo murmure vocem
Audit pullorum crocitantum, eſcámque petentum.
Inſequitur vocem. circumſpicit. omnia luſtrat,
Denique poſt multas latebras, remoráſque viarum
Suſpenſum excelſa ſpeculatur in arbore nidum,
Nidum corvorum. Prædâ gaviſus opima
Auceps præproperus jam nil ſua lucra moratus
Scandit in enodem manibus ſatagentibus Ornum;
Secúmque ex alto fert nidum, & penſile ſtratum;
Excutit arboreum thalamum, ſus déque grabatum
Frondibus amotis vertit, totúmque ſupinat.
Hoc agit. & ſubitò, ecce tibi! mirabile viſu,
In fundo apparet croceo ſplendore metallum.
Tollit humo venator opus. fuit annulus auro
Conſpicuus. Vigili medius Carbunculus igne
Mittebat radios totidem, ceu flammea tela,
Quot nictus ſolis pretioſa ex luce bibebat.
Invento venator ovat fauſtiſſimus auro,
Et Regnum reperiſſe putat: pede ſubſilit uno:
Ridet, & in ſaltum toto ſe corpore librat:
Cantat jo, gaudétque iterum, totúſque cachinnat:
Felicem ſe ſe, bis térque quatérque beatum
Prædicat, & dono vix ſe capit ipſe reperto:
Jam corvos crocitare ſinit: placet annulus illi
Præ cunctis avibus, plùs quàm nemora omnia mundi;
Se putat eſſe Gygem, factum ex Actæone Regem.

At

At neſcis, malè cautus homo, quantùm Annulus iſte
Olim ſit tibi funeſtus, tragicúſque futurus.
Hoc aurum tibi cauſa necis, tibi cauſa dolorum
Exiſtet quondam, ſupremámque afferet horam.
O utinam ſcires, quid munere ſubſit in iſto,
Abiiceres fatale aurum, cauſámque malorum
Calcares pedibus, nec humo tua dona levares.

Non ita venator ſenſit: námque ipſe reverſus
Ex ſilva Fortunam ipſam ſe ducere ſecum
Eſt arbitratus Comitem, fidámque ſodalem.
Non ſic evenit: nam poſtquam verna protervus
Portare in digitis rutilum non horruit aurum,
Et meliorem auro lapidem, rarúmque Pyropum,
Idq; palam in facie, & manifeſta luce diei,
Orta eſt ſuſpicio primùm, temeraria quamvis;
Succeſſit nequam livor, notiſſima peſtis,
Aularúmque lues, Regum immedicabile vulnus.

Rumor erat famulos inter, famuláſque loquaces
Et reliquum ſervile pecus, caculáſque cocóſque:
Vnde hoc venator munus, gemmámque nitentem?
Vnde (bonum Numen!) pretioſus hic annulus illi?
An dono accepit? ſed quis tam ſplendida donet
Vili homini? an longis ſublêgit nobile furtum
Forſitan hoc digitis? ſed ubi eſt occaſio furti?
Iſta loquebantur, Genio ſtimulante maligno,
Quotquot erant famuli, nec guttura falſa tenebant.

Tempeſtas tandem erupit fatalis & atrox
Fulmine præcipiti, poſtquam præeunte tumultu
Antè diu Cælum tonuit. Degebat in aula
Henrici Comitis reliquis dilectior unus

Tem-

Tempeſtate illâ non ultimus inter Ephœbos,
Acer homo, aſſuetúſque dolis, vaſer arte ſuſurro,
Mente alius, ſermone alius, mendacia ſari
Mille ſciens, & mille dolos, velut alter Vlyſſes,
Facundúſque Sinon, vulpina pelle repôſtus.
Hic quoque conſpexit digitis ſervilibus aurum
In vili radiare manu, ſtupuítque lapillum
Tam rari pretii, ſcintillantémque Pyropum
Indigno ſplendere loco, ſtomachatus & ardens
Acceſſit propius: vidit ſpectabile donum:
Laudavit, tetigit. Subitô fuit agnitus illi
Annulus attactu. cernénsque, hoc nobile munus
Eſſe ſui Domini, & ſolennis fœderis arrham,
Quâ ſibi dilectam quondam ſoviaverat Iddam
Connubio ſtabili, infremuit, ſecúmque revolvens
Plurima nunc iſthuc animum, nunc dividit illuc.
Mox adit Henricum Comitem, veniáque petitâ
Sic loquitur: Generoſe Comes, res plena perîcli,
Res urget thalami; arcanum tibi prodere magnum
Cogor, & invitus jubeor tibi dicere verum:
Proſpice Coniugio; nec enim niſi ſigna ſuperſunt
Suſpecti affectûs. gliſcit mala fama, fidéſque
Coniugis in dubio eſt. non ſum delator iniquus,
Sed fidus monitor, ſocio ſuccurre pudori;
Ac ne vana loqui, nullo manifeſta colore
Me reputes, cape legitimi argumenta doloris,
Et ſolidas cauſas. Si mentiar ordine rerum,
Pelle luam propria, collúmque ſub enſe relinquam.
Vt fugiam ambages, Comes Illuſtriſſime, dicam,
Quod res eſt: Coniux, tua dilectiſſima Coniux

En

Ex ſtabulo vernam (paucis dicam omnia verbis)
Turpem venatorem adamat, fœdúmque Cyclopem,
Et te poſtponit Comitem Satyro ſilveſtri:
Talia non credes, ſed perge audire loquentem:
Annulus ille tuus, quantovis Principe dignus,
Annulus ille auro rigidus, caſtóque metallo,
Et gemmâ inſigni ornatus, claróque Pyropo
In manibus ſervi eſt: digitis hunc geſtat apertis
Venator tuus, ille tuus vilis ſcarabæus.
Atque hominum crabro, tantóque increſcit honore,
Vt præ ſe ſpernat reliquos, verbíſque laceſſat:
Si mihi non credis, Comes Illuſtriſſime, teſtis
Ipſemet eſto rei, cauſæq; æquiſſimus actor:
Cura accerſiri famulum, ſlavere videbis
In digitis aurum & gemmam ſuper omnia pulchram,
Eximere è manibus, thalamíque agnoſcere pignus
Ipſe tui poteris; dices me vera locutum.
Aſt verò hæc né impunè feret nequiſſimus ille
Præcipui invaſor thalami? ſacrúmne cubile
Involet ille latro? tantos venetur amores
Coniugis ille tuæ? hæc inquam, patieris inultus
Illuſtris Comes, & nullum ſtatues exemplum
Plebis ad horrorem? Poſthàc niſi caveris, omnes
IDDAM amplectentur, tacitóque ſequentur amore.
His Comes auditis arcanam exarſit in iram,
Diſſimulánsque tamen bibit alto corde dolorem.
Sic ait: unde mihi ſama hæc, fidiſſime Ephœbe?
Siccine fœdifrago thalamo mihi perfida coniux
Idda mihi imponat ſemper dilecta marita?
Vix ſatis hæc capio, verbis vix credo diſertis,

Experiar tamen ipſe ſtatum, ſeriémque peractæ
Hiſtoriæ. accerſam famulum; quin ocius ipſe
Hoc age, ſuſpectum mæchum, thalamique alieni
Invaſorem adduc tecum. res tota patebit
Indicio manifeſta ſuo: procus ille peribit,
Crede mihi, inſolito fato, ſi vera loquaris.
Hæc ait Henricus. reverens ſubiungit Ephœbus:
Hoc ago, quod mandas, mihi juſſa capeſſere jas eſt,
Advoco lenonem: culpam luet ille patratam
Convictus ſceleris, vitámque piabit adulter.
Interea venator adeſt, Dominúmque ſalutans
Comiter inflexis genibus vicinior adſtat.
At verò lucebat adhuc pretioſus agreſti
Annulus in digito, radiiſque micabat acutis.
Hunc ubi conſpexit Comes, indignatus & ardens,
Acer anhelanti ſimilis, ritúque Leonis
Huc illúcq; tuens flammantia lumina torquens
Denique prorumpit, dictíſque invectus amaris
In venatorem reboantia verba profundit:
Túne ille es nebulo? tu leno vaferrimus ille?
Tu canis impurus? túne is decumanus adulter,
Qui jus uſurpare meum, ſanctúmque grabatum
Inceſtare auſit? qui ſacra revellere pacta
Connubii ſtabilis, ſacros qui effringere poſtes,
Atque ſeras thalami, charam violare maritam,
Conſpurcare torum, maculáſque inferre cubili
Noſtro non dubitat? túne ille olidiſſimus hircus?
Túne illud deforme caput, miſerabile monſtrum,
Mundi Therſites & vilis homuncio? túne
Hoc auſis tentare nefas & flebile crimen?

Hæc de te merui? huc noſtri recidere favores,
Beſtia, ut in Propriam Dominam temerarius eſſes?
An non, ſi libuit turpem committere labem,
Forſan erant aliæ ſimiles tibi ſanguine, vitâ,
Conditione pari, quas tu, meretricie Lurco,
Ad crimen traheres? Illuſtrem ſtirpe maritam,
Et Comitem Imperii, forma & virtute decoram,
Atque tuam Dominam, Dominíque tui Conſortem
(Proh ſcelus!) ad vitium maculámque tuam elegiſti,
Æternóque meo opprobrio Vxorem violâſti?
At non hæc impunè feres malè ſanus adulter.
Morte lues facinus. quàm verè vivo, peribis:
Quos ego! me vivus rapiat per nubila Dæmon,
Si tibi avernalem culpam hanc, facinúſque remittam.
Ocius huc famuli. nebulonem hunc atque latronem,
Hunc violatorem thalami, mœchúmque ſceleſtum
Accipite. indomitum ſtabulo producite noſtro
Pegaſum, & ad caudam pecudis religate furentis
Dirum lenonem. luat hôc luat execrandum
Supplicio facinus, diſcerptóque in fruſta neſando
Corpore turpem animam nebulo vomat ore cruento.
Dixerat hæc Comes, ignito, velut Ætna, furore
Flammeus. & famuli ſecum rapuere parati
Mox venatorem. Caudæ religatus equinæ
Per loca ſenta ſitu, per inhoſpita denſa viarum,
Per ſcopulos, per ſaxa, per avia & invia ſilvæ
Tractus homo miſer innocuam inter mille reliquit
Vulnera tormenti immunis ſine crimine vitam.
Non ſatis hæc iræ ſimplex fuit hoſtia. neſcit,
Si fuerit nimius fixâ requieſcere meta

Trux

Trux furor, in morem ſilvæ, quæ concipit ignem,
Latius ardeſcit ſemper, quo ſerpit eundo
Flamma magis, reperítque novam, quam devoret eſcā.
Ergo amens vecórsque Comes, præcépsque furore,
Ore, oculisque flagrans vindictam corpore toto
Spirat maiorem. Væ væ, ſanctiſſima Coniux,
Væ tibi! nam ſævæ tu proxima victima morti
Iam deſignata es. tu ſola atque una parato
Quæreris exitio; tempeſtas deſinet in te
Turbida, fulmineis prægnans & fœta ſagittis,
Tu fœcem moritura bibes, calicémque ſupremum:
Ah! fuge crudelem Comitem, fuge coniugis iram,
Zelotypúmque virum meliori digna marito.
Innocua es, fateor, ſed, ni Deus adiuvet, actum eſt
De vita famáque tua. mendacia regnant,
Opprimitur virtus. periit venator acerbo
Funere; non meliora manent te fata, peribis.
Vt dixi, evênit. Cæco Comes impete fertur;
Ceu Leo, qui veſpis æſtate agitatus acerbis
Impatiens calcaris abit per ſumma, per ima;
Nec, quò ſe ferat, attendit, ſed quà data porta,
Quà via facta, ruit rabidā ſtimulante preneſi.
Irruit in Conclave Iddæ Comes, & furibundis
Invehitur verbis primum, mox impete ſumpto
Arripit ambabus manibus, ſtringitque lacertis
Vxorem mediam. quid agis furor improbe? ceſſa:
Cauſam expende prius, juſtóque examine libra;
Innocua eſt Coniux, nil dignum morte patravit;
Nil quoque venator peccavit; neuter adulter,
In thalamum neuter quidquam commiſit; uterque

Ingenuam ſemper duxit ſine crimine vitam:
Anne venenatis tantum te credere labris,
Anne ſuſurronis linguæ committere tantum
Te decet, Vxorem propriam, ſpeculum pietatis,
Vt vel inauditam è medio ſuſtollere tentes?
Siſte furor. nec te capiat dementia tanta,
Ne te pæniteat ſeri poſt funera facti.

Sed nil efficio. indomitus furor ampliùs ardet:
Námque ita correptam Henricus rabidiſſimus Iddam
Eiicit in furia mediâ bipatente feneſtra,
Præcipitátque foras ſublimi è vertice turris.

Arx Tockenburgi prææalto pendula ſaxo,
Aëreo fundata ſitu, clivóque ſuperbo
Plùs quadringentis cubitis ſurgebat in altum.
Infra præcipiti vallis demerſa profundo,
Immanique vorago cavo tota obſita ſpinis,
Virgultis tribuliſque locus ſordebat opacis.

Præcipiti huc mulier cecidit ſanctiſſima lapſu
Abs dubio quaſſanda & mille in fruſta ſecanda
Obiectis ſcopulis, ſpiníſque extantibus altis,
Nî Deus innocuam prompto ſervâſſet aſylo,
Cui commendavit ſe ſe, cùm præcipitata
In terram caderet, mediáque hæreret in aura
Plus animo, quàm voce loquens; ſervare memento
O Deus, innocuam famulam, tu dirige caſum,
Ipſa ait, auxiliare tuæ, Deus impiger, Iddæ,
Adſis, ô placidúſque juves; res aſpice noſtras
Mi Deus, & noſtræ præſens ſuccurre ruinæ:
Ad te confugio, Cæli terræq; potentem,
Da dextram miſeræ; ſi tu me deſeris, actum eſt:

Sed

Sed tamen hîc etiam fiat tua ſancta voluntas
In me, circa me: tua ſum, tibi ſtóque, cadóque.
Hæc ait, & Numen præſens in vota vocavit.
Adſtitit id miſeræ clemens, mollémque cadenti
Suppoſuit dextram, ne fortè ad ſcrupea ſaxa,
ſilveſtréſque vepres partes offenderet ullas
Corporis, aut teneros ſcopulis illideret artus.
Evaſit ſalva, incolumíſque in valle reſedit
Præcipitata Nurus. Luxatum corpore toto
Nullum eſt oſſiculum, nihil in compage minutum,
Non aliter, quàm ſi blandas illapſa fuiſſet
In plumas, teneráſve nives, aut molle grabatum.
Prodigium poſtquam ſervato in corpore ſenſit,
Procidit in genua, & queſtum de corde profundo
Edidit inſignis Matrona, & ſupplice voce
Sic orſa eſt grates lacrymis inſuſa decoris
Reddere cæleſti Domino, Genióque Patrono:
O quem te memorem, IESV, mea vita, meum cor!
Quid dicam? quid agam? deſunt mihi verba, deeſt vox,
Quâ celebrem Patrone tuam ſanctiſſime dextram,
Quâ me præcipitem, atque in propria fata ruentem,
Me fragilem nimis in medio aëre ſuſtentâſti.
Quid referam, bone Servator? quas reddere grates
Me decet? hoc opto, ut totus me exaudiat Orbis,
Quæ loquor: hanc modò, quam vivo, tibi debeo vitam;
Hæc tua, mi Deus eſt; quòd ſi tua, non mea vita eſt,
Poſthàc non mihi, ſed tibi, mi Deus, impigra vivam,
Servitióque tuo reſtantes proſequar annos:
Hanc hodie tibi juro animam, voveóque. fidelem
Accipe me famulam. tua ſum, ſempérque manebo;

Tu mihi ſponſus eris poſthàc, meliórque maritus;
Tu verò ingrate, & nimium temerarie Munde,
Qui me abieciſti, qui me per ſaxa dediſti
Præcipitem, famámque bonam mihi ſurripuiſti,
Qui malè tractâſti, méque omnibus expoliâſti,
Munde ingrate vale; nec enim mihi poſtea quidquam
Tecum erit, in patrios nunquam remigrabô penates;
Adq; virum nunquam poſthàc, thalamúmque redibo:
Hîc mihi in hac ſilva, præſens dum vita manebit,
Hîc mihi delegi requiem. ſecurior inter
Silveſtres reſidebo feras, nemoríſque receſſus,
Quàm falſos fratres, & iniquos inter amicos:
Nimirum hæc mundi eſt merces conſueta, potentes
Deiicere, & propriis funem ſubmittere ſervis.
Hæc fata in nemoris procul interiora receſſit
Idda hominum fugitans, latebríſque occulta remotis
Delituit ſecura fugæ, tacitique receſſus.
Poſt caſum ex arce & ſupremi vertice tecti
Accurrere avidi famuli, valliſque profundæ
Intima ſcrutati Dominam reperire ſtudebant
Pro ſe quiſque ſuam, tumulóque locare parato
Quaſſatum corpus. Sed nil in valle repertum eſt;
Non aderat corpus, nec corporis ulla figura,
Non impreſſa ſolo veſtigia coniugis ulla.
Ergo vel amiſſam, vel quod miſerabile viſum eſt,
A rabidis diſcerptam urſis, aliiſque ferarum
Dentibus Henricus cum tota credidit aula.
At, ſervante Deo, nec perdita, nec lacerata,
Idda fuit, dentes nullos perpeſſa ferinos
Plus faciles experta feras, quàm corda ſuorum

Effera,

Efferа, & in ſilva, propriâ quàm tutior aula,
Duxit Eremitæ longævo tempore vitam,
Et ſolis herbis veſcens, quas fundus avarus,
Ingeniúmque ſoli durum protruſit in auras,
Sub dîo vixit caſulâ defenſa malignâ
Adverſùs Cæli pluvias, ſoliſque calores.
Hîc corpus viridi proſtravit feſſa ſub umbra,
Próque thoro uſa ſolo, terráque patente cubili
Perpetuæ tormenta famis perpeſſa, ſitiſque
Vulnera jeiuno tolerabat luſtra caniſtro
Bina ferè, nullique hominum conſpecta ſuorum
Conſtans delituit, corpúſque afflixit egendo:
Donec poſt multos annos viſum Omnipotenti eſt
Virtutem rurſus manifeſtæ oſtendere luci,
Et candelabro nitidam ſuffigere ſtellam,
Vt magnâ lux illa domo, mundique theatro
Omnibus attonitis claro ſplenderet honore.

Contigit, ut Comitis venator, (is ipſe, necato
Quem Succeſſorem Henricus pro munere legit)
In ſilvam exiret. Secum ducebat acutum
Nare canem, quo non ullus vivacior alter,
Ore ſagax atque aure micans; námque eminùs omnes
Nôrat odore feras, latebráſque excire repôſtas:
Si quis fortè notatus aper, vel ruſula vulpes,
Aut lupus, aut cervus, celerique pede hinnulus, aut Lynx,
Subſtitit, & querulo ſonitu geſtúq; monebat
Mox venatorem fidus clamore Melampus.

Sic, quoties iſto actæon comitante Lyciſco
In viridem exibat ſilvam, Regnúmque Dianæ,
Optata nunquam vacuus ſine merce redibat,

 Sed

Sed leporem ſecum, aut vulpem, catulúmve ferebat,
Aut alia de gente feram. Denſiſſima circùm
Silva erat, & rigidis paſſim concreta vepretis.
Nulla via huc ducit. niſi quis reptando per antra,
Et latebras penetret, corpúſque repercutiat vî,
Nunquam perſringet, tam ſunt plena omnia ſpinis.
Et tamen hoc ipſo in ſaltu, ſtabulóque ferarum
Venator prudens veſtigia certa notavit
In bibulo deſcripta ſolo, quâ parte paluſtris
Gleba madet: (paulò antè illàc nam tranſiit Idda,
Impreſſitque pedes fundo, cùm carperet herbas,
Radicéſque famens legeret pro more ſalubres.)
Hæc ubi contuitus canis eſt veſtigia, naſo
Ille ſagax, avidúſque aliquid comprendere curſu
Vlteriùs porrexit iter, quò ſemita duxit,
Semita odoratis durans venatica ſignis.
Devenere locum, quà ſilva intonſa recurvis
Nigricat arboribus, ſolémque excludit & æſtum
Vmbra loci perplexa ſitu, densiſque vepretis.
Hîc modicum arte larem media ſub valle theatri,
Anguſtam caſulam, malè ſartam ex vimine cellam,
Contextam arboribus venator conſpicit ædem:
Circum fonticulus modicus, ſed vitreus undâ
Exilit, & tenui fugiens per gramina ſulco
Populeas inter frondes ſua pocula trudit.
Ripa ex utraque irrorati hoc nectare flores
Sponte ſua ſe ſe tollunt de paupere fundo,
Silveſtréſque herbæ ſerpunt viridante culina
Iddæ ad ſolamen, tenuémque famentis in eſcam.
Accedit paulò propiùs venator, & ardet

Cer-

Cernere, quid ſibi portendat viliſſimus ille
Angulus ex ramis & frondibus intertextus,
Quæ domus hæc, & quæ ſtatio pauperrima, quiſve
Incola ſit Cellæ, num Faunorum, aut Satyrorum
Fortè ſit hoc ſtabulum, aut paſtorum vile mapale.
Dum ſic progreditur, videt inter frondea clauſtra
Matronam exeſo vultu, faciéque reductâ,
Atque cavis oculis macilentâ incedere larvâ,
Veſtitu laceram: nam veſtem attriverat ætas.
Nigra feneſtrato per rimas undique panno
Proſpexit cutis, apricóque foramine pellis;
Lurida forma fuit, facies impexa, genarum
Gratia nulla, modis pallentia guttura miris,
Qualis ſpectrorum aut Lemurum ſolet eſſe figura.
Conſiſtit viſu attonitus venator, & hæret
Arrectis horrore comis, ſudore fluente
Quid faciat, dubitat. pariter fugit Idda repente
Viſo homine, ac ſe ſe cellâ interiore recondit,
Haud ſecùs ac timida aſpecto Falcone columba
Diffugit in latebras celer, abſtruſóque ſub antro,
Aut denſis fruticum ſeptis, viridíque ſub umbra
Accipitris ſecura latet, dum prædo recedat,
Pennatúſque latro, dum viſa pericula ceſſent.
At verò interea diſcuſſo ex corde timore
Venator ſumens animos & pectora firmans
Ipſe ſibi, appropiat caſulæ, portámque modeſtè
Pulſat, & egreſſam verbis affatur amicis
Limine Matronam: Salve, inquit, femina ſalve.
Fare, age, quis tuus eſt ſtatus hic, ratióve latendi?
Quid tibi in hac ſilva rerum eſt nemoriſque receſſu?

Quod genus? unde domo es? quò te malus abſtulit error?
Cur auſtera tibi es? quanto jam tempore degis
Has inter frondes, malè contra incommoda Cæli,
Adverſúſque imbres deſenſa, æſtúmque, gelúque?
Hoc tibi quis ſuaſit? quæ te dementia cepit,
Vt ſilvam immitem præponas urbibus, & te
Affligas adeò? non eſt hæc regula pro te,
Non pro fæmineo ſexu: potiùs ſine vitam
Vivere tam rigidam natos ad fortia quæque
Exantlanda viros: mollis ſibi fæmina parcat:
Aſſumant ſibi magna mares facienda, ferenda;
Fæmina tractet acum; non eſt pro virgine ſilva.
Hæc venator ait. tacuit Venerabilis Idda
Ora verecundo penitùs ſuffuſa rubore,
Ceu Roſa, quæ primo ſe ſe cum vere colorat:
Nam puduit lacera conſpectam in veſte fuiſſe
Humanis oculis. fixo venator inhærens
Obtutu, ex facie tandem dignoſcit herili
Hanc hanc eſſe ſuam Dominam: nam noverat, illam
Sic oculos teretéſque manus, ſic ora tuliſſe,
Sic geſtum rexiſſe, prior dum forma manebat.
Tum verò ſe non tenuit venator, amicos
Quin ſubitò amplexus & brachia ſtringeret arcta.
Reſtitit Idda viro, nec ſe ſe corpore tangi
Paſſa ſuperſuſos roſeo dabat ore colores,
Quales Iris habet, variabilis Arcus olympi,
Cùm ruber, accenſúſq; micat per nubis opaca,
Et minio Cælum pingit, pulchérque renidet.
Ter conatus homo collo dare vincula circùm,
Brachiáque injectis manibus, ter ſenſit ab Idda
Corpore declinante fugi, caſtéque repelli. Nil

Nil tamen his motus venator taliter inſit:
O quam te video! quantùm mutata es ab illa,
Quæ fueras olim! niſi me tua fallit imago,
Tu tu noſtra Idda es. tu Tockenburgica Coniux
Henrici Comitis, quondam ex alto data præceps:
Vnde fit, ut vivas, ut non in fruſta ducenta
Concideris, laceris per tanta obſtacula membris?
Quis te ſervavit ſalvam, ne corpore fracto,
Eliſáque anima caderes? Provincia tota
Te pridem abſumptam credit, tumulóque repôſtam.
At laus ſit ſuperis, qui patravere ſtupendum
Tecum prodigium, laus ſit dextræ Omnipotenti,
Quæ te ſuſtentans lapſu ſervavit ab alto.
Innocua, & procul à vitio, famáque remota
Suſpecti thalami pleriſque es credita: Virtus
Námque tua, & pietas non eſt nos paſſa putare
Talia de Domina noſtra Candoris amante:
Hinc caſus doluit tuus & ſententia mortis
Præproperæ, Henricique furor, vindictáque præceps
Cunctis diſplicuit; rigido ſed nemo Leoni
Eripere hanc animam poterat, niſi dextra potentis
Numinis, innocuas quæ non ſuccumbere mentes
Supremo articulo patitur, ſed ſubvenit ægris
Oppreſsíſque animis in caſibus opportunis;
At verò quoniam Patrono Numine fiſa,
Et morti erepta es, ſaxo, ut cognoſcat idipſum
Coniux Henricus, felix ego nuncius illi
Perferam evangelium, te vivere, te ſupereſſe:
Crede mihi, magno te mox deducet honore
In patrias ædes, te Coniux rurſus amabit,

Reſtituétque toro, redimétque opprobria blandis
Coniugis Officiis, veniámque precabitur iræ
Præcipitis, dicet te nævo & crimine puram;
Dicet ſe nimio celerem peccâſſe ſurore.
Finiit Actæon. ad quæ Matrona reponit:
Eſt ita, ſicut ais, bone vir; quæ cognita vultu
Sum tibi, me talem fateor; quam nomine dicis
Idda ego ſum, nuper Comitiſſa, modò infima ſerva:
Sic eſt; debueram lapſu ex ingente perire,
Comminuíque in fruſta cadens, niſi dextra fuiſſet
Numinis Omnipotens, quæ me cum pondere toto
Aëre ſuſtentans medio libravit in alto
Incolumem, mollíque dedit deſcendere niſu:
Laudetur Deus in miro rerum ordine! quantum
Præſtitit ille mihi? quàm nil ego lanquida reddo?
Tot benefactorum quàm ſum moroſa ſolutrix?
Ne tamen omnino nil reddam, hîc hîc mihi ſedem
Legi perpetuam. Requiem mihi ſilva miniſtrat,
Hîc mihi dulce mori eſt. hîc paupertate magiſtrâ
Ad finem vitæ perſiſtam: nemo deinceps
Ad patriam revocare domum, Comitémque maritum
Me poterit, nemo poſthàc mihi ſuaſerit aulam:
Quare age, mi bone vir, noli me prodere, noli,
Sed ſine me ſilvas intérque has vivere frondes.
Hæc ait, & dulci fletu ſua verba coronat.
At ſimul & venator abit lepore ocior ipſo,
Et volucri cervo repetit velocior arcem.
Mox Comitis petit alloquium; tum talia fatur:
Nuncius ipſe tibi, Comes Illuſtriſſime, veni
Fauſtus jo! mecúmque tuli felicia verba.

Hiſtoriam, ſi vis, paucis adverte, docebo:
Inventa eſt Coniux, tua dilectiſſima Coniux,
Idda tua inventa eſt; quæ mortua credita nobis
Omnibus, in vivis etiamnum eſt, atque ſuperſtes:
Illam ego de facie vidi, ſúmque ipſe locutus
Plurima præſenti præſens, méque ipſa viciſſim
Alloquio dignata ſuo eſt, dextrámque prehendit
Ipſa meam, tribuítque ſuam. ſi credere tardas,
Ipſe oculos allego meos, teſtéſque requiro
Cælicolas omnes, Cælum invoco & invoco terram,
Quin ipſum compello Deum, teſtórque Tonantem,
Me non mentiri: ſi non tibi fortè moleſtum eſt,
Mecum exi in viridem ſilvam per quatuor horas,
Ipſum commonſtrabo locum, monſtrabo mapale,
Et parvam caſulam generoſæ Coniugis Iddæ
Ceſpite congeſto textam: tum fas erit ipſam
Aſpicere, & coram notos cognoſcere vultus,
Atque etiam, ſi fortè placet, deducere in arcem
Poſt longum exilium, thalamóque jugare priori.
Audiit iſta Comes, perplexíſque auribus adſtans
Credere principiò renuit; nam fabula viſa eſt.
Denique poſt multos ſermones atque loquelas
Decrevit luſtrare locum, ſilvámque ſubire
Venatore duce, & propriam ſpectare maritam.
Itur in antiquam ſilvam. properatur ad ædem
Coniugis. huc læti veniunt, præeunte Moloſſo.
Quos ubi conſpexit ſuccedere cominùs Idda,
Obvia proceſſit Comiti, ſe ſéque videndam
Obtulit. agnovítque ſuam Comes obvius Iddam:
Obſtupuit, ſteterúntque comæ, vox faucibus hæſit

Affectu nimio. rémque intùs agente dolore,
Et deſiderio, mentem in contraria vertit;
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat uſque morari
Aſpectu: nequeunt expleri lumina viſu:
Continuo namque obtutu fixa ora tenebat
Henricus Comes; atque oculos per ſingula volvens
Admirabatur laceras jam corpore veſtes,
Iam vultum exſorptum macie, jam vile mapale:
Tum conferre gradum, & rerum cognoſcere cauſas
Tam mirabilium ſitiens Henricus in iſtas
Erupit voces: mea dilectiſſima Conjux,
O mea chara olim conſors, mea chara Marita,
O! quid non feci? quantus peccator ego ſum,
Quòd te ſuſpectam thalami, fractique pudoris
Et quidem inauditam expulerim tectóque thoróque;
Quòd te præcipitem dederim per ſaxa furore
Indomito; quòd te morti, exitióque ſupremo
Tradiderim: aſt agnoſco ſcelus, facinúſque cruentum;
Deteſtor factum inſolitum, nimiúmque furorem
Execror, & veniam delicti poſtulo tanti,
Deprecor opprobrium, læſámque hoc crimine famam,
Et nomen tibi reſtituo, teſtem invoco Cælum,
Et Cæli indigenas ſuperos, ipſúmque Omnipotentem
Teſtor, Virgineámque Dei ſine Labe Parentem,
Me peccaviſſe, & ſcelus admiſiſſe pudendum:
Credulus ah! nimiùm, nimiùm temerarius, & trux
Ipſe fui. Sceleratus homo, latro ille bilinguis
Me circumvênit, ſuasítque ſuſurro furorem:
At non hoc impunè feret: luet ipſe, quod egit,
Carnificique caput nebulo dabit enſe ſecandum:

Quòd

Quòd ſi defuerit tortor, lictórque cruentus,
Ipſe ego tam dirum caput à cervice revellam;
Sic me ſancta docet Nemeſis, ſic me decet omnem
Iuſtitiam implere & vi debellare ſceleſtos:
Alteram ego pœnam merui, quam ſumere de me
Si cupis; O Coniux, caput hoc dibi debeo: puni
Me ſceleratum hominem, damna me morte Tyrannum;
Sons ego, tu verò innocua es; tua vita probata
Eſt ſuperis uſque ad miracula: námque redempta
Prodigio eſt virtus tua: debebas data præceps
Corpore comminui toto; ſed dextra potentis
Numinis innocuam ſervavit in aëre vitam;
Ne caſu oſſiculum, ne pes vel coſta periret.
Gratulor hanc Cœlo virtutem; gratulor ingens
Prodigium, & digitum ſabri Omnipotentis adoro:
Vt verò videas, O jam mea chara, meum cor,
O mea, tota mea, O Coniux, gratiſſima Coniux;
Quòd te rurſus amem, quòd te complectar ab imis
Viſceribus, cordiſque fibris, ipsíſque medullis,
Ex hoc momento te rurſus adopto maritam;
Et cupio, ut mea ſis Coniux, velut antè fuiſti,
Reſtituóque meo thalamo, fideíque priori:
O! ergo placeat mecum tibi, quæſo, reverti
Ad patrias arces: deſueſce habitare receſſus,
Atque humiles ſine vecte caſas; has, quæſo, profanos
Exue centones, habitúmque reſume priorem
Te dignum, jámque obſcuram obliviſcere ſilvam:
Quæſo, redi mecum, & domui ſuccede paternæ;
Omnis barbaries aberit, mihi crede; maritus
Poſthàc obtinget tibi, qui fuit antè Tyrannus;

Tran-

Tranquillos ſine nube dies, ſine fulgure ſoles
Vivemus poſthàc; ſanctus ſine lite grabatus,
Nobile coniugium ſeros durabit in annos.
Finiit Henricus: placido cui pectore contra
Idda verecundans vultum demiſſa profatur:
O Comes Henrice, O mi dilectiſſime Coniux,
Quæ nos læta dies, quæ nos optabilis hora
Rurſus coniungit poſt tot diſcriminis annos?
Quàm mihi fauſtus ades? quàm bellè ludit in orbe
Providus ille Deus, qui ſuaviter omnia flectit?
Nam viden, ex caſu mihi nil malè contigit illo;
Incolumis ſervata fui, ſuſpenſa pependi
Aëre, & à propriis ceu ſuſtentata Capillis
Decidi in obſcuram vallem ſine corpore læſo:
Hoc divina mihi pietas, hoc præſtitit Auctor
Omnipotens rerum: ſi naturæ ordine caſus
Hic proceſſiſſet, planè tota Idda perîſſet
Illiſa in ſcopulos, aut dilacerata vepretis:
Ergo age, mitte metum, Coniux chariſſime; non eſt,
Cur doleas, timeáſque tibi; nam vivimus ambo;
Non eſt, cur veniam culpæ, pacémque preceris:
Nam, quamvis nihil in thalamum, ſanctúmque pudorem
Vnquam peccârim, ſed connubialia jura
Fœdere ſervarim ſtabili, infractóque decôre,
Cuncta tamen juſtè patior, majora flagella
His merita, & Nemeſis divinæ Numen adoro:
Crede mihi, O Coniux, non hæc ſine Numine Divûm
Evenere mihi, fuit hæc divina voluntas,
Cui me permiſi totam, totámque dicavi.
At verò quòd me patrias, ſuaviſſime Coniux,

In ſedes revoces, tecum jubeáſque reverti,
Parce mihi; haud equidem tanto me dignor honore,
Nec fieri id poterit. ſtat vincta adamante voluntas;
Quod dixi, vovi. non me ſibi mundus habebit
Proh nimis exoſus, non me dein aula videbit:
Hîc ego perſiſtam pauper, dum vita manebit:
Momento hoc ipſo, quicquid fortuna bonorum
Confert, aut conferre poteſt, captare recuſo:
Hoc age, me ſervire Deo patere, optime Coniux,
Vt ſimili vitæ exemplo, ſitienſque faménſque
Illum imiter, pro me de divite factus egenus
Qui fuit, & dextram Patris, ſoliúmque reliquit:
Hoc age. delicias Cæli, quibus innato tota,
Ne mihi ſurripias. vitam, quam duco tot annis,
Stat non deſerere, & ſanctis abſiſtere cœptis.
Ah neſcis, dilecte Comes, ſacra quid ſit eremus,
Et quàm ſit quavis Mundi præſtantior aulâ;
Neſcis, heu neſcis ſapidæ ſolatia ſilvæ,
Et quàm ſit volupe agreſtes decerpere baccas,
Atque herbis veſci; quàm ſit res dulcis, egere:
At quia munificus mihi vis exiſtere, Coniux,
Hoc precor, ut laceris, detritiſque his veſtibus ævo
Subſtituas alias, non luxu aut arte ſuperbas,
Sed vili è lino, queîs corpus honeſtiùs abdam,
Atque tegam carnem per rimas proſpicientem,
Tum, quoniam ulteriùs mihi copia facta petendi,
Ex opibus gazíſque tuis hoc poſtulo, vilem
Vt mihi de ligno caſulam, modicúmque cubile
Iſthîc ædifices: nam noſtra ſenecta videtur
Hoc ſibi ſolamen, placidámque repoſcere pacem:
Deni-

Denique, quod ſupereſt, toto quoque poſtulo corde;
Per quicquid poſſum; per myſtica vulnera Chriſti,
Per quicquid charum tibi ſtat, largiſſime Coniux,
Per magnam matrem, quam ſancto ſtringis amore;
Per ſuperos omnes, quotquot tibi Tutelares,
Vt delatori famulo, qui talia fecit;
Atque ſuſurroni ignoſcas, veniámque doloſæ
Concedas linguæ. Sic lex ſuaviſſima Chriſti
Suadet, ut exoſos clementes ſimus in hoſtes;
Illius exemplo, qui ſtipite fixus in alto,
Inq; Cruce extenſus veniam hoſtibus exoravit:
Abſit, ut ullus homo propter me corpore mulctam,
Aut pœnam ſubeat: reverentia maxima vitæ;
Debetúrque homini. facile eſt, occidere quemquam;
At verò occiſum in vitam revocare priorem
Hoc opus, hic labor eſt; ſolus Deus efficit illud
Prodigium; legéſque necis quandoque relaxat;
Quare age; manſuetum potius, chariſſime Coniux
Te cunctis præſta. nocet empta furore voluptas
Præcipiti; ſi quando iræ ſe ſe impetus urget
Præproperus, motos præſtat componere fluctus;
Hoc ſi feciſſes, etiamnum viveret ille,
Ille miſer venator equis diſtractus adactis.
Has paucas, Henrice, preces, fidiſſime Coniux,
Si mihi concedas, faciáſque favore potiri,
Retribuet tibi conceſſas cum fœnore dotes
Munificium Numen, Cælúmque fidele refundet.
Annuit Henricus precibus, veniáque benignâ
Conceſſa famulo ſumptus addixit in ædem:
Et, quia jam nullis poterat perducere verbis

Vxo-

Vxorem ſecum ad patriam, thalamúmque priorem,
Exortis ſubitò lacrymis ſua brachia ſtringens
Ivit in amplexus, & flens valedixit amanti:
Chara, vale, ajebat: quoniam mecum ipſa reverti
Non cupis, Henrici ſaltem meminiſſe juvabit
Non procul abſentis; tu pro me ſæpius ora:
Dividimur ſpatio, ſed corde adſtringimur uno:
Chara, vale; nec enim Sanctam turbare quietem
Eſt animus. pro me Cælum placare ſtudeto.
His dictis ambo dextras junxere ſupremas,
Et lacrymas pleno juſſere ſcatere canali.
At verò cœptam conſtans producere vitam
Propoſito fundata manet non mobilis Idda,
Quamvis Henricus tantò ferventiùs inſtet,
Vt ſecum ad patrios dignetur adire penates,
Deliciíſque frui. precibus nil illa movetur,
Non ſecus ac pelagi rupes, veniente fragore,
Quæ ſe ſe, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet; nulliſque Euris transverſa rotatur.
Interea rumor totâ regione vagatur,
Iddam eſſe inventam, miris patuiſſe modis rem,
Quòd nil peccârit contra ſacra fœdera lecti,
Atque maritalis fidei, quòd præcipitata
Iniuſtè fuerit. quare plebs tota videndæ
Sanctæ Matronæ cupiens ingente per arva
Confluxit cumulo; atque Iddæ convênit ad ædem,
Vt docto ſacræ viduæ penderet ab ore,
Et vitæ documenta domum, atque exempla referret.
Quos ubi conſertos numero conſpexerat Idda,
Incepit dictis ſolari, & talia fari:

Diſcite juſtitiam moniti & confidere Cælo
Pro ſe quiſque, viri, erectiſque ad ſidera palmis
Communem implorate Patrem: meliora ſequamur,
Quóque vocat, vertamus iter. via prima ſalutis
Intemerata fides, & mens ſibi conſcia recti,
Peccati fuga mortalis, ſcelerúmque repulſa:
Nam qui divitias, certa incentiva malorum,
Atque voluptates, terrenáque lucra ſequuntur,
Qui mundo immerſi modicè cæleſtia curant,
Hos manet Infernus, piceíque vorago Camini
Tunc, cùm frigida mors animæ ſubduxerit artus.
Hi flammam expectent Erebi, quæ maxima pœna eſt:
Præterea, quæ dicam, animis advertite veſtris:
Audite: hæc repetens iterúmque iterúmque monebo:
Grande bonum eſt anima; hæc pretioſo ſanguine Chriſti
Empta, redempta fuit. non eſt ſub ſole, quod ipſi
Conferri poſſit; gemmas ea vincit & aurum:
Hanc periiſſe ſemel ſatis eſt; jactura dolenda
Hoc magis eſt, nulla quòd ſit reparabilis arte;
Nam, poſtquam fugit jam non revocabile tempus,
Sera omnis medicina mali eſt mortalibus ægris.
Ergo, dum placido lucet ſol aureus igne,
Dum licet, & prodeſt; dum vult Deus, illius aram
Cuncti obteſtemur, veniámque oremus ab ipſo.
Hæc dictis populos & vocibus Idda monebat,
Profecítque monens: virtus namque addidit alas
Segnibus, & robur multorum in mente reliquit.
Illa exin ſilvæ, retinénsque fidelis Eremi
Creverat in virtute magis, ſanctáque palæſtra,
Haud ſecus, atque dies oriens, cùm creſcit eundo

Lon-

Longiùs, efficitur ſemper formoſior in ſe,
Quò magis ad medium Phæbus proficiſcitur axem;
Sic ſe ſe virtus habuit ſpectabilis Iddæ
Augmentis decorata ſuis, cùm ſerior ætas
Tempore proficiens plures excrevit in annos.
Nec pietas hæc ſola fuit: comitata ſtupendis
Prodigiis virtus latè diſperſit odorem.
Vnum præ reliquis narro mirabile factum.
Haud procul à ſancta Cella venerabilis Iddæ
Cœnobium jacet, antiquis memorabile faſtis,
Fundator primus cui nomen Fiſchina fecit.
Virtutum hîc ſedes. hîc diſciplina vetuſtis
Patribus inſpirata viget, nec feſſa tot annis
Stat pietas, & priſca fides ſervata per ævum.
Hîc magni clarique viri, qui nocte diéque
Angelici veluti quidam ſermonis olores,
Luſciniæq; ſacræ, & voces cæleſtis alaudæ
Aſſidui pſallunt, & magnum Numen adorant.
Qui Benedictini placida ſub Præſulis umbra
Latè divinum cultum multiplice zelo
Amplificant, ritúſque ſacros, legéſque propagant;
Qui populum verâ ſub Relligione tueri
Providi, in hæreticas pugnant certamine ſectas,
Infauſtóſque lupos procul à præſepibus arcent.
Hic templum eſt donis opulentũ, & Numine Divûm,
In quo ſtat pietas, habitátque ſacerrima virtus,
Templum majeſtate decens, Saxíſque vetuſtis
Nobile, ad antiquas leges ex marmore ſtructum,
Horrorémque ſacrum ſpirans. quæ cauſa frequentes
Attrahit ad ſe ſe peregrinos, ordine longo

Vt cum vexillis veniant, pompáque decorâ
Interſint ſacris: námque hîc ex mente piorum
Omnia concinno peraguntur munia ritu,
Cantantúrque preces ſtabiles, horæq; diurnæ
Nunquam interruptâ ſerie, ſeu manè ſupremo
Sol oritur, ſive occiduo jam veſpere rurſus
It cubitum, roſeóque mari ſua lumina condit.
Nec ſatis eſt bene longa dies, ut tempore toto
Majeſtas divina ſacro laudetur honore,
Nocte Patres ſurgunt media, abruptóque ſopore
Proſtrati ante aram prolixo carmine Pſalmos,
Et matutinas decantant dulciter odas
Agmine partito gemina in ſubſellia templi
Et cantare pares, & reſpondere parati.
Huc pro more ſuo vênit de nocte ducentis
Paſſibus Idda frequens, ſacriſque interfuit Hymnis.
At verò (O rarum & dictu mirabile factum,
Ingens prodigium, nullis abolebile ſæclis)
Ecce tibi! greſſum quoties huc Idda movebat,
Adſuit è Cælo ſurgens in cornua cervus,
Grande animal, ſilvæq; gigas, cui fronte capaci
Bis ſeni rami arboreis luxere cylindris,
Et totidem vigiles lychni, claræq; columnæ
Cornibus innexæ rutilis micuere favillis.
Lucifer his radiis cervus præiverat Iddam
Vſque ad Fiſchingam, finitóque ordine cantûs,
Luminibus totidem tenebroſâ nocte reduxit,
Haud ſecùs ac quondam Hebræis ignita columna
Præluxit populis Phariâ ditione vagatis,
Diſperſitque procul crinita ex lampade flammam

Ille

Ille incombuſtus Cæli Regione Coloſſus:
Sic Iddæ Cervus clara ſub luce refulſit,
Monſtravitque viam, & ſacros noƈti addidit ignes.
Hæc fieri indoluit Satanas, nequiſſimus hoſtis,
Inſenſúsque Iddæ duplicare in prælia vires
Inſtitit, & tentare fero terrore precantem,
Tempore præſertim ſero, atque ætate ſenili,
Quâ ſe ſe totam cellâ concluſit opaca,
Atque ex incluſis privata ſororibus una
Idda fuit, tacito ſuperis ſamulata cubili.
Tum ſubit in varias formas, rabidáſque figuras
Hiſtrio Tartareus. jam ſilveſtrem induit urſum;
Iam mentitur aprum; jam perſonatus in anguem
Verſicolore cute, apparens in veſte Draconis
Multiplicat ſpiras, caudæq; volumina torquet
Longâ appendice & lingua micat ore triſulcâ
Cerberus. at vana eſt orci ſine viribus ira.
Propoſiti ſtans Idda tenax & conſcia reƈti
Non timet inſultus, precibúſque immota quieſcit.
Accidit, accenſis ut fortè orare lucernis
Pergeret Idda Deo ſupplex: cùm ludio rurſus
Adfuit, & ſtygius, non unâ fraude choragus,
Atque animam flatúmque ciens de ſeſquipedali
Immanis ventris barathro, follémque prehendens
Ventiſonum, lychnum extinxit flagrantis olivæ.
Non tulit hoc audax faƈtum Infernalis Vlyſſis
Idda orans; ſacráſque preces hac arte doloſâ
Queſta interrumpi, dextram bipatente feneſtra
Exerit, extinƈtámque tenens animoſa lucernam
Viſa Deo, cujus decurrunt omnia nutu,

Imperat, ut quidam defunctus, ibique ſepultus
Ociùs è tumulo ſurgat, placidáque quiete,
Extinctúmque ſibi reddat de lumine lumen.
Paruit exemplo tumulatus mortuus, & ſe
Suſtulit ex cippo, rurſúſque animatus in auras
Exijt, accenſámque Iddæ porrexit olivam,
Defunctum Matrona videns, illique locuta,
Agnovit, monſtrante Deo, de gente fuiſſe
Tockenburgorum Comitum. fruſtra atra furit ſtyx,
Invidiáque fremit, motóque Acheronte minatur,
Prodigiis ubi virtutem Deus ornat, & ipſos
Recludit tumulos, manéſque ſub orbe repôſtos
De ſomno prodire jubet, longóque veterno.
His ita tranſactis, multos provixit in annos
Virtutum dono, & meritorum divite gazâ
Idda valens. donec poſt tot diſcrimina rerum,
Poſt exantlatos non uno turbine caſus,
Fortunæq́ vices, viſum eſt tandem Omnipotenti
Tam pretioſam animam mortali educere limo.
Ergo ubi fatalem ſenſit ſibi cominùs horam
Appropiare magis, toto ſe pectore librans
In Cælum, gemitus ſurſum & ſuſpiria miſit,
Atque ultrò mortem invitans, his vocibus uſa eſt:
Mors bona, mors optata veni! quid tarda moraris
Solvere me miſeram! Cæli cur gaudia differs,
Et ſponſi amplexus? alios ſine vivere longos,
Qui cupiunt, annos, queîs terra hæc ſordida cordi eſt;
Me permitte mori; nam ſum matura ſepulcro:
Ah! ſatis eſt vitæ, ſatis eſt! pretioſa veni mors.
Talia flammatis repetebat vocibus Idda,

Diſſol-

Diſſolvíque flagrans Cælum ſpectabat, & aſtra;
Adductâ veluti chordâ fugitiva ſagitta
In metam properans gaudet contingere ſinem:
Aut veluti cervus, cùm ſpicula corde recepit,
Emicat ad ſontes, & aquas medicamine quærens,
Tranſilit obſtantes frutices, frontéſque vepréſque,
Donec ad optatas veniat rapidiſſimus undas,
Sic deſideriis contendens, Idda citatis
Tranſiliit Mundum, & terrena cacumina Mundi,
Vt Cælo Empyrio, ſponſóque propinquior eſſet.
Tandem exaudita eſt: ſancto nam fine quievit
Compoſita in placidum ſomnum venerabilis Idda
Plena ſacris meritis, tumulúmque intravit, acervi
Inſtar triticei, qui multo farre redundat;
Aut opulentæ inſtar navis, quæ divite gazâ
Ex oriente redux, gemmis onerata ſuperbis
In portum invehitur circùm plaudentibus undis.
Fama ubi diſperſa eſt, ſanctam vixiſſe parentem,
Sunt mæſti concuſſi animi, gemitúſque per omnes
Auditus partes totâ regione cucurrit;
Inſonuit plangor lacrymantum & triſtè dolentum.
Vndique convenere piæ longo ordine mentes
Suppliciter triſtes, & tunſis pectora palmis
Funereas rapuere faces, ſanctúmque feretrum
Deveneraturæ multâ cinxere coronâ.
Tum lecti proceres non magna mole ſepulcrum
Conſtituunt, decorántque ſuper fulgentibus armis,
Et Gentilitiis ſcutis. it ſumus in auras
Plurimus accenſâ cerâ, lucentibus aris.
Iámque ſacerdotes mediâ teſtudine templi

Sacra canunt, cumulántque ſacris altaria rhytmis:
Accedunt Patres, corpúſque exangue ſepulcro
Componunt, nec non mitrâ Venerabilis abbas
Exorat requiem functæ, pacémque precatur
Manibus, & Divam vocat in ſua vota Patronam.
Conſequitur fletus magnus, ſexúſque frequentes
Fæminei lacrymæ, gemitus, ſuſpiria, queſtus,
Erepi ámque dolent omnes ſibi morte parentem
Tam pretioſam, effectámque omnibus omnia matrem.
At verò triſtem, quæſo vos, ponite nubem,
Non eget his lacrymis, non iſtis luctibus Idda:
Felix morte ſua eſt. Cælo jam ſancta potitur,
Regnat ibi, veſtróſque inde aſpicit intima caſus
Propitiis oculis; eſt veſtra benigna Patrona.
An non conſpicitis miracula maxima ſacram
Patrari ad tumbam? morbos, captiváque membra,
Damnatos tenebris oculos, & neſcia fari
Labra catenatis arctè religata loquelis
Reddi ſupplicibus? gaude, o ſacra Fiſchina, gaude,
Cui ſacrum corpus (Theſaurus maximus orbis)
Obtigit in ſpolium: quæ nobilitata ſepulcro
Mirifico, tantâ flores ſecura Patronâ.
Quæ tibi gaudendi cauſa eſt, O Fiſchina, quovis
Tempore mortales ægros, miſeróſque frequentes,
Cernere confractis toties adrepere membris,
Et lætos paulò pòſt ſurgere corpore ſano?
Quæ tibi gaudendi cauſa eſt, tot cernere cæcos,
Tot mutos, ſurdóſque homines, quibus organa ſalva
Audita redeunt? locus hic eſt prodigiorum

Innumerabilium, & longo florent miracula tractu.
Ergo age, Diva potens, ſanctum & venerabile nomen,
Sidereum Patriæ columen, miſerere tuorum,
Idda, Togenburgâ quot ſunt ditione, clientum.
Perge tuis, Idda eſſe parens, perge eſſe Patrona;
Accipe, quas canimus laudes, memoréſque triumphos
Suſcipe: nam, ſi quid noſtra hæc encomia poſſunt,
Semper honos, noménque tuum, laudéſque manebunt.



CAPUT XXIV.

Origo Inclyti Comitatûs Tockenburgici cum Genealogia Comitum Tockenburgicorum.

Cùm hactenus vitam S. Comitiſſæ Tockenburgicæ deſcripſerim, obſequium me præſtiturũ cenſui amicis noſtris dilectiſſimis nobis conterminis in vicino habitantibus, nominatim Comitatûs Tockenburgici inquilinis, ſi mentionem quoque hoc loco insererem de vetuſtiſſima Tockenburgicorum Comitum ſerie, continua ſibi, ut ita dicam, catenâ ſuccedentium, de ſtemmatis præclariſſimi origine & propagatione: quemadmodum ad hoc ipſum re ipsâ præſtandum à doctiſſimo & unicè mihi dilecto bonæ mentis amico requiſitus & invitatus ſum.

Ac inprimis, quantum ad antiquiſſimum ac omni ætate clariſſimum hoc ſtemma attinet, pervetuſta edita eſt Suevorum Chronica, quæ originem Arcis Tockenburgicæ refert ad annum Chriſti centeſimum ſeptuageſimũ circiter, vel paulò antè. Ut ſuus antiquitati honor conſtet, placet hoc loco ſenſum eius Chronicæ referre. Hæc proin multorum ſæculorum Chronica narrat, præcipuum quendam Romanum Equitem, nomine Curium

rium (qui præpoſterè Imperator ibidem appellatur) propter fidem ex Italia profugum Româ veniſſe primùm in Rhætiam Griſonicam, ibíque ſedem ſuam fixiſſe, ſucceſſu verò temporis receſſiſſe in has partes, ibique arcem magnificam extremo jam vitæ ſenio extruxiſſe, quam de nomine Conjugis ſuæ, quæ Docka appellabatur, indigitaſſe fertur Tockenburgum; paulò pòſt eundem Curium de ſuis facultatibus, quas amplas habebat, erexiſſe atque etiam fundâſſe Cænobium Fiſchingenſe, in eóque, poſtquam anno Chriſti 172. piè diem ſuum obijſſet, ſepultum fuiſſe. Antiqua porro apud nos traditio eſt, & pro vetuſta omnino fama creditur, dictum Curium in Sacello Omnium SS. requieſcere.

Tametſi ergo hæc pervetuſti nominis Chronica apud eruditos parum fidei obtineat, ob bene multas & ludicras fabulas, quæ promiſcuè hinc inde inſeruntur, propterea tamen liber totus non videtur continuò totus quantus reijciendus & condemnandus, in ijs præſertim, in quibus antiqua alia probata monimenta cum ea conveniunt atque conſpirant.

Quod ad propoſitum noſtrum facit, ut origo Tóckenburgicæ familiæ, quantum fieri poteſt, eò clarius reluceat, ſuppono tanquam certum, 1. quòd Monaſterium noſtrum Fiſchingenſe à Dominis Tockenburgicis erectũ

fun-

fundatúmque fuerit à primo ſui exordio. 2. quòd dictum Monaſterium initia ſua ſumpſerit occaſione eorum Chriſtianorum, qui ob graves Gentilium Cæſarum excitatas perſecutiones & tempora Chriſtiano ſanguini infeſta ex Italia in hanc ſolitudinem profugerunt. Utrumque hoc punctum præter continuam traditionem à majoribus acceptam confirmat Conſtantienſe Epiſcopale Archivium, quod originem noſtri antiquiſſimi Monaſterij verbis hiſce & terminis formalibus deſcribit: Monaſterium hoc ab antiquis Piſcina, vulgò Fiſchingen dictum in pede montis Cornuti (Hörnlein) in Comitatu Tockenburg non procul ab antiqua arce eiuſdem nominis ſitum eſt. quem locum, uti abſtruſum valde & tunc denſis nemoribus conſitum Chriſtianos olim perſecutionis tempore ex Italiæ locis, fugâ vitæ ſuæ conſulentes, poſtmodum ſedatis non nihil Chriſtianorum cædibus & Eccleſiæ pace conceſſa fratres ſolitarios inhabitâſſe; inde hujus Cænobij prima initia atque vetuſtas. Tunc ſucceſſu temporis à Comitibus de Tockenburg in Abbatiam Ordinis Divi Benedicti ſublimatam, atque fundatam aſſerunt &c. Ubi notandum eſt, quòd ea ſcriptura ante aliquot ſæcula literis concepta & conſignata ſit, quo tempore Dominium Taneggenſe cum Fiſchingenſi Cænobio adhuc erat in ditione Tockenburgenſi.

Ergo

Ergo nobis firmum fixúmque manet, quòd Comites Tockenburgenſes primi fundatores Cænobij noſtri extiterint, quin imò primam quoque Eccleſiam extruxerint. Si igitur Fiſchingæ antiquiſſima origo eſt, neceſſario ſequitur, Tockenburgicos Dominos eſſe Fiſchingâ antiquiores, utpote eius fundatores. Fiſchingæ autem venerabilis antiquitas per ſe patet, præſertim, ſi de prima Eccleſia & prima Religioſa habitatione ſermo ſit, id quod teſtatur Reverendiſſ. D. Balthaſar Epiſcopus Aſcalonitanus, Suffraganeus Conſtantienſis in ſuis ad Summum Pontificem literis Gregorium XIII. quarum tenor eſt:

Sanctiſſimo Domino noſtro D. Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. humiliter exponitur: qualiter Monaſteriũ Fiſchingen Ord. S. Benedicti, Conſtantienſis Diœceſis in Comitatu Turgoiæ ſitum, juxta Communem famam ſit antiquiſſimum in toto Helvetiorum Dominio & fortè etiam in Diœceſi Conſtantienſi; ſiquidem ante mille & trecentos annos monaſticam vitam eo in loco actam eſſe conſtat &c. Actum in Monaſterio Vinearum die 14. Novemb. Anno 1582.

Balthaſar Epiſc. Aſcalon.
Suffrag. Conſtant.

Ubi

Ubi iteratò notandum venit, quòd per allegatos ibi Monachos non Benedictini, qui nulli adhuc ijs temporibus erant, ſed antiqui Eremitæ & aſcetæ intelligi debeant.

Porro, vî teſtimonij tam luculenti earundem literarum, ſi Monaſterium noſtrum jam ante annos mille, trecentos nonaginta & unum, exordium ſuum ſumpſit & originem, ac conſequenter fundatores illius, hoc eſt Domini Tockenburgici, qui ſemper pro fundatoribus habiti ſunt, jam ante plures, quàm mille trecentos & nonaginta annos floruerunt; hoc, inquam, ſi ita ſe habeat, tum ſanè antiqua illa Chronica, de qua ſupra meminimus, in allegatione ſtirpis Tockenburgicæ, ratione temporis, non multùm aberravit.

Quòd ſi quis fortè objiciat, Fiſchingam, quatenus à Tockenburgicis fundatam non computari & intelligi oportere de prima illa Eccleſia & antiquiſſima Eremicolarum habitatione, ſed præciſè & propriè de illo tempore & ſæculo, quo Regula Divi Benedicti huc introducta & Monaſterium, opera Comitum Tockenburgicorum in abbatiam accommodatum eſt, huic Reſpondeo, etiam in hoc ſtatu conſideratum Tockenburgum pervetuſtæ adhuc eſſe originis & venerabilem Sæculorum obtinere antiquitatem: nam, tametſi nos proprium ac determinatum tempus, quo Ordo D. Benedicti Fiſchingam introductus eſt,

certò

certò ſtatuere ac deſignare non poſſimus, eò quòd monimenta noſtra per repetita loci incendia deflagraverint, vel per immutatam ex oborta hæreſi Religionẽ plerique annales perierint, nihilo minus pro re indubitata & minimè controverſa credimus ac perſuaſum habemus, quòd ante Abbatẽ Albertum, Trungâ oriundum, qui anno 972. rexit, non ſolùm Abbas Marquardus, verùm etiã alij complures dicto Monaſterio poteſtate præfuerint. ex quo iterum ſequitur, Fundatores noſtros Tockenburgicos ut minimùm ante octingentos aut nongentos annos floruiſſe.

Erant his primæ Nobilitatis Dominis arces geminæ jam ante mille octoginta tres annos, ſi Joanni Stumpfio credimus; erant ijs diverſa quoque Inſignia, ſeu ſcuta Gentilitia, tametſi una duntaxat eſſet linea. id ex eo patet, quòd fratres quoque hujus familiæ diverſis ſigillis uſi ſint, uti ſuperſtites adhuc & poſthumæ eorum literæ commonſtrant.

Illi, quorum vetus Tockenburgum erat, ſupra Fiſchingam, habebant in flavo campo ſeu area Rubrum erectum Leonem, qui è diametro reſpondentem ſibi mediam Cæruleam aquilam, ſupra galeam verò medium moloſſum oſtentabat, quemadmodum primus iconiſmus ſcalpro expreſſus num. 1. exhibet.

Ii, qui NeoTockenburgum ſupra Liechtẽſtigam poſſidebant, uſurpabant ſibi in

cam-

campo itidem flavo Moloſſum, ſeu Canem nigrum cum exerta lingua purpurea & monili ferrugineo. Supra duplicem ac geminam galeam à dextris erant duo piſces, ad lævam Moloſſus medius, prout ænea tabula exhibet num. 2. In noſtro Tabulario ſeu Archivio extat præter alia unum diploma, quod anno 1270. 14. Februarij Monaſterio noſtro ritè ſigillo munitum dedere Fridericus & Wilhelmus natu majores, Diethelmus & Fridericus juniores Comites de Tockenburg. Iſtud diploma pendula pro more habet tria ſigilla. majus ſigillum exhibet Equitem ex Caſtello prodeuntem, qui brachio ſcutum cum cane præfert, capiti verò præfixos duos piſces exhibet, uti videre eſt in adjuncta icone num. 3. qua quidem in imagine ſculptor errorem commiſit, quòd equitem in ſiniſtrum latus detorſerit. Minora reliqua ſigilla in ſcuto ſuo exhibent Gentilitium canem cum geminis piſcibus, ut adeò quatuor Tockenburgica ſigilla non in omnibus ex integro ſibi reſpondeant.

Videtur, Tockenburgicos initiò tantùm Equites & Nobiles, atque etiam Barones fuiſſe, quando verò ad dignitatem Comitum evecti ſint, haud ſatis liquet. Supra memoratum Conſtantienſe tabularium in fundatione hujus Monaſterij vocat eos Comites, ex quo liquidò conſtaret, eum honoris & digni-

tatis titulum illis jam ante octingentos & nongentos annos fuiſſe proprium, quod tamen hiſtoriographi negant. Unde ſenſus dicti tabularij fortè hic eſſe debebit, quòd Comites fuerint non tunc, quando Fiſchingam fundârunt, ſed eo tempore, quo fundatio illa poſt multos annos in Archivio literis conſignata fuit.

His tali ratione enarratis, id modò agemus, ut Tockenburgicos Comites & Dominos ordine & ſerie ſua hîc collocemus. at verò nullus propterea ſibi perſuadeat, velim, quaſi eorum plures non fuerint, quàm hîc ponantur, aut quòd non citiùs eorum aliqui floruerint, quàm circa annum Chriſti 1081. nam cùm nobis haud alia ratione, quàm per accidens, ut ita loquar, & per eventus innotuerint, nimirum per Torneamenta & haſtiludia, quibus pro more antiquorum equeſtris Allemaniæ Nobilium interfuerunt; tum per diplomata & literas, quas annulo ſuo obſignârunt, tum per caſus quoſdam & calamitates, quæ ipſos quandoq; afflixerunt, ac denique per nomina, quæ tacitis ac præteritis cæteris præciſè apud Hiſtoricos quaſi per tranſitum recenſentur; hinc extra dubium eſſe videtur, plures Tockenburgicos antiquis etiam ſæculis celebres in cenſum venturos fuiſſe, ſi quis olim excitiſſet quiſpiam Germaniæ Livius, qui meditato ſtylo & fideli calamo antiquorum Ger-

manorum atque etiam Tockenburgicorum illuſtria facta poſteritati transmiſſa ab oblivione vindicâſſet. Ergo neceſſitate quadam hac in parte urgemur, illos duntaxat hîc apponere, quorum notitia aliqua ab illis duntaxat temporibus ad nos pervenit.

Præmitto tamen hîc notabile quid, quod modò hiſce diebus ad noſtram notitiam devênit: Chronologia Rhetiæ refert, quòd Clodovæus Rex ad annum Chriſti 502. parti Rhetiæ ad ſe pertinenti & vicinis Alimanniæ locis impoſuerit 12. Comites, quorum arbitrio ſubditi ſtarent, & ſi quid occurreret controverſiæ, apud eoſdem jus quærerent. Eum in finem Comites certis temporibus apud Ranchwilam conveniebant. Hos inter numerabatur etiam Comes de Tockenburg. Quibus ſic ſtantibus, patet quòd illuſtris hæc familia ante annos 1180. ſub excellenti Comitum titulo jam floruerit.

Genealogia Dominorum ac Comitum Tockenburgicorum.

I. VOlckardus & Dietelmus fratres primi ſunt Domini à Tockenburg nobis cogniti; antiquum Chronicon Principalis Monaſterij Augiæ Divitis narrat, Volckardum an. 1081. in Caſtello Bernegg à militibus Udalrici Abbatis ad S. Gallum occiſum fuiſſe. frater ipſius Dietelmus moliebatur ope Eckardi Abbatis

batis Augienſis fratris ſui ſanguinem ulciſci & talionem reddere; at verò ſucceſſu ſuo vindictâ caruit: nam prætterquam quòd id non perfecerit, amiſit in uper NeoTockenburgu, quod ferro & flammâ vaſtatum eſt, qui plerumque belli fructus eſſe ſolent ut, cùm quæruntur aliena, perdantur etiam propria.

Annales Principalis Monaſterij ad S. Gallum hoc ipſo tempore & anno 1083 ponunt duos fratres Comites Tockenburgenſes ejuſdem nominis Volckardum & Dietelmum.

II. Theodelinus & Dietelmus I. Comites florebant anno 1120.

III. Albertus Comes vixit circa annum Chriſti 1160. interfuit torneamento, ſive Ludo Equeſtri Tigure an. 1165.

IV. Wernerus dicti Alberti filius præfuit Abbas Sacræ Eremo an. 1171 rexit ad an. 1190.

V. Henricus Comes à Tockenburg Conjux S Iddæ natæ ex Comitibus de Kirchberg (quorum inſignia in ſuperiore iconiſmo appoſita ſunt num. 4.) hoc loco collocandus venit. De hac Sancta Matrona præſens hic Tractatus conſcriptus eſt. Hic Comes Henricus, uti ſupra meminimus, interfuit haſtiludio Coloniæ an. 1179. eodémque anno duxit in Conjugem Iddam.

VI. Dietelmus II. ſenior, Comes de Tockenburg fundavit Comendam Ordinis Teutonici Joannitarum Burbicone, ubi etiam ſe-

pultus eſt, poſtquam obijt anno 1207.

VII. Fridericus & Dietelmus III. Junior dictus, præfati Comitis Dietelmi filij. Prior duxit in uxorem Comitiſſam Montfortiam, alter Comitiſſam Italico-Neoburgicam. In his duobus fratribus relucebat quodammodò alter Eſau & alter Jacob ob ſimilitudinem paris propè indolis. Fridericus erat lenis, dicto audiens, & ideò parentibus in amoribus ac delicijs; Dietelmus verò ut plurimum aſper, auſterus, degener & ſanguinis ſui macula: Ex inſita quadam invidia fratrem ſuum oderat, & quia ſupra modum ambitioſus & regnandi cupidus erat, propterea nihil non egit, ut è paternis bonis & hæreditarijs Fridericum eijceret, præſertim cùm multi ipſi liberi domi vagirent. Fridericus aliquanto tempore in Cæſaris Friderici II. aula ſatagebat. portio ipſius erat antiquum Tockenburgum & urbs Wila cum juribus & finibus ſuis, qui bolus utpote pinguior ac delicatior Dietelmo & ſceleratæ ejus Conjugi oppidò doluit. effecit tandem peſſima hirundo & altera Jezabel tantum apud maritum Dietelmum, ut, quod jure non poterat, injuria & ſanguine quæreret, dato famulis ſuis negotio, ut Fridericum è medio tollerent. Quæri debebat ſceleri color & occaſio, quæ brevi & ultrò ad manus fuit: ſimulato quippe amicitiæ obſequio Dietelmus fratrem invitavit in arcem ſuam

Rin-

Ringerſwilam haud procul Wengi ſitam, eum ſcilicet in finem, ut ex inſidijs circumventum opportuno dolo occideret. Nimia fiducia Friderico nocuit: nam, cùm nihil maligni de fratre ſuſpicatus triduum ibi ſolitò hilarior exegiſſet, nocte intempeſta ſpecie exorti tumultûs invaſus, & imploratâ necquicquam fratris ope à ſubornatis famulis crudeliter trucidatus fuit, anno 1226. menſe Decembri, relicto poſt ſe filio, Georgio appellato. Perpetrato homicidio Dietelmus feſtinatione utendum ratus extemplo agmen ſuum inſtruxit, & cum copijs Tockenburgum versùs movit, ut primo tumultu & impetu arce illa & urbe Wilâ potiretur. At fama ipſo multò celerior de fraterna perpetrata cæde jam præcucurrerat. quæ cauſa fuit, ut nihil efficeret, quin potiùs non multò poſt Pontificio anathemate ictus Imperatoria quoque ſententia læſæ Majeſtatis reus declararetur. Sequebatur à tergo Dei vindicta perfidum minimè tardo pede: Conrado quippe S. Galli Abbati provincia à Cæſare impoſita eſt, ut perduellem armis perſequeretur: qui dicto audiens educto, quem ſub ſignis habebat, exercitu, vix menſe integro proprijs homicidam bonis exuit, Lauterbergam ſitu & opere munitam, Ringerſwilam & arcem Wengi in poteſtatem redegit. Miſer inter hæc Cainus Dietelmus propriâ ipſum perſequente conſcientia,

cum nuſpiam pedem figere tutum putaret, tandem ab omnibus deſertus & ultima neceſſitate compulſus Uzenbergæ, loco utcunque firmo in Tigurina ditione ſito ſe commiſit, ubi arctè circumſeſſus & concluſus demum arbitrio & gratiæ Abbatis ſe ſe dedere coactus eſt: nihilominus arbitris & conciliatoribus Comitibus de Kyburg & Raperſwil. ac quibuſdam Abbatibus pro ipſo ſtantibus factis firmatiſq; cōditionibus denuo gratiæ reſtitutus. Abbati verò Conrado juſſu Imperatorio hæreditaria trucidati Friderici arx Tockenburgica & urbs Wila relicta eſt.

Opinio quorundam eſt, quòd dictus Dietelmus, cùm tanquam degener filius à ſuo parente exhæredatus, & Antiquum Tockēburgum cum ſuis confinijs Friderico áttributum fuiſſet, injuriâ illa offenſus in fratris ſui deſpectum Neo-Tockenburgum ſupra Liechtenſtigam ædificarît, & alia Inſignia à prioribus diverſa aſſumpſerit: inde factum, ut filij ipſius, quorum unus antiquum, alter Neo-Tockenburgum poſſederat, diverſis ſigillis uſi fuerint. Adversus hanc opinionem pugnat id, quod ſupra ex Joanne Stumpfio memoratum fuit, videlicet, quòd Neo-Tockenburgum jam anno 1083. ante has lites ac prælia non tantum extructum ſteterit, verùm etiam ferro ac igne vaſtatum, penitúſque exuſtum fuerit, quæ omnia, ſalvo meliore judicio, cui-

cuivis, maximè amico Lectori relicta ſunto.

Quoniam verò ea, quæ à Dietelmo Comite perperam ac malè geſta ſunt, à nobis amore veritatis, quæ Hiſtorico pretioſa & Sancta eſſe debet, recenſita fuere, omittendum ſanè hoc loco non cenſemus, quod meritò laudi & honori apud poſteros ipſi eſſe poſſit, videlicet, quòd biennio poſt fraternam cædem & ſecutas ex illa miſerabiles turbas, fortè in pænitentiæ ſignum ac ſatisfactionem Anno 1228. Tobelianam equeſtrem domum fundaverit.

VII. Wilhelmus I. Fridericus II. Hermannus ſeu Hartmannus & Craffton fratres, antè memorati Dietelmi filij; horum; poſtremus Craffto, adjuvante partes ejus Epiſcopo Conſtantienſi relicto in exulceratis animis pertinaci etiamnum vindicandi parentis ſui aculeo Abbatem S. Galli bello petijt. Ille ipſe anno 1249. Toparchiam Braitenoviam cum omnibus juribus (criminali & capitali judicio excepto) Eccleſiæ S. Ioannis elocavit, primúſque ex Comitibus Tockenburgicis, unà cum fratribus ſuis Monaſterij noſtri Fiſchingēſis advocatus & protector fuit: nam dominiū Taneggenſe cum juribus Monaſterij noſtri eo tempore Tockenburgicis oppigneratum fuit, eóque in ſtatu permanſit ad annum uſq; 1407. quo tandem ſub Epiſcopo Alberto Plarero exſolutum ad Diœceſin redijt. ad quam æris ſummam Tanegga mille quadringentas te-

 runtio-

runtiorum libras, Fiſchinga verò ſexcentas ultrò contulit, quantum ex tabulario & Archivio noſtro colligere licet. Poſteaquam ergo Comes Craffto nonnihil auſterior eſſe, & deſpoticè ſatis dominari inceperat, occaſio tulit, ut tempeſtate quadam Winodurum ad cæteros Provinciales Dynaſtas equitaret. Hoc iter ipſi fatale & ultimum fuit: in via quippe à lacertoſo quopiam verna (Löcherum hiſtoria appellat) deprehenſus, invaſus, & facto ipſo inhumaniter confoſſus eſt. cauſa truculenti facinoris ea fuiſſe proditur, quòd Comes ſicarij fratrem neſcio qua de causâ ad reſtim damnatum ſuſpendi juſſiſſet. Accidit funeſta Cædes an. 1270. cùm ante quinquennium circiter dictus Comes omnem propè lignarium apparatum ad novam fabricam Monaſterij PP. Auguſtinianorum, quod eſt Tigure, liberaliter contuliſſet.

VIII. Hermannus Comitis Craffionis frater ſub regimine Walteri Abbatis ad S. Gallum an. 1239. urbem Wilam occupavit. erat ipſi quoque controverſia & bellum cum Abbate Bertoldo an. 1244. Erat eidem Craffioni alius frater, cui Friderico nomen. is pretioſus & charus inprimis erat Regi Rudolpho. ille ipſe an. 1273. cum cæteris fratribus ſuis ratam habuit & confirmavit dotationem prædij vulgò in dem Heebe dictum dynaſtiâ tamen excepta: quam dotationem ipſius

vaſallus Jacobus de Büele nobilis Eques Ecclesiæ S Joannis an. 1261. præſtiterat.

IX. Fridericus III. & Dietelmus IV. ambo floruerunt ab anno 1283 erant Comitis Crafftonis fratres. Fridericus an. 1277. dono dedit Monaſterio Magdenovienſi unum prædium in Hemberg. Dietelmus ex Comitibus Tockenburgicis noſtri Monaſterij Fiſchingenſis alter Advocatus & Patronus fuit vi teſtimonij cujuſdam perantiqui Codicis noſtri funeralis, in quo menſe Majo nomen ipſius his verbis ita ſignatum legitur: obijt Dietelmus de Tockenburg Advocatus II. Ambo hi fratres unà cum Friderico II. & Wilhelmo I. an. 1278. 3. Novemb. Monaſterio Magdenau donârunt Advocatiam vulgò im Moß an der Hueb / in Bächi / in Diſſelbach / im Tobel / im Buobenthal / uti & prædium in der Ruor dictum cum omnibus juribus & pleno dominio.

X. Ego vel uti ipſum appellat Lazius, Eglon vel etiam Egilus, Comes de Tockenburg inter alios, uti dux militaris merebatur Alberto I. Duci Auſtriæ in bello adverſùs Tigurinos.

XI. Wernerus & Eglinus, vel, ut ipſum Joannes Stumpfius appellat Eggli, aut etiam Eglolphus Comites erant Tockenburgici. Poſterior erat Capitaneus Tigurinorum in prælio ad Winodurum an. 1292.

XII. Fridericus IV. vixit an. 1308. merebatur ſub Rege Rudolpho eo tempore, quo vaſtata eſt urbs Wila, civitas illa toties inter hoſtiles partes controverſa. huic Friderico erant tres fratres. Primus vocabatur Craffto Præpoſitus magnæ Baſilicæ Tigure, & Canonicus Cathedralis Conſtantiæ circa annum 1312. alter Dietelmus V. qui junctâ opera & ſumptibus à Barone de Sax arcem & Dynaſtiam (vulgò Wildehaus dictam) emerunt. Conjugem habebat Dietelmus Kunegundam Baroniſſam de Faz, ex qua duos filios ſuſcepit Donatum & Dietelmum, de quo infra num. 15. Præter hos erat alius Comes Fridericus Tockenburgicus Conſtantiæ Cathedralis Canonicus, qui Crafftone & Dietelmo non invitis Monaſterio Magdenovienſi Advocatiam (vulgò auff den Eggen / Manbrachtswil / an der Eberhards-Hube vnd deß Hafners Egge dictam) elocavit. quod actum eſt an. 1320.

Quinquennio pòſt an. 1325. ſupra nominatus Comes Craffto Præpoſitus Tigurinus in bonum & ſalutem animæ ſuæ ac anteceſſorum ſuorum Baſilicæ Tigurinæ dono dedit viginti Marchas argenti & unum prædium in Nidernizwil. Neque hîc conſtitit munificentia pij Comitis, ſed in ſæpius memorato Monaſterio Magdenovienſi de liberali ſua fundatione cæteris adjecit & ſuperaddidit novum Beneficium ad Dei, Sanctiſſimæq; eius

Ma-

Matris honorem ac gloriam. is erat Sacerdos ritè ordinatus, qui Abbatiſſæ cæteríſque Religioſis virginibus quotidie ad aram faceret & pietatem inflammaret. Presbytero illi alendo addixit prædium aliquod in loco Trungen appellato & ſito in Turgoia. hæc ab ipſo acta ſunt an. 1337.

XIII. Hoc loco & tempore juxta Chronologiam annorúmque circulum collocandus venit Dietelmus VI. qui fuit Tigurinorum Capitaneus ad Grinaviam. Captus is fuit in acie & Rapperſwilæ dein necatus, an. 1337.

XIV. Pari modo hic ponendus eſt alius quidam Comes Tockenburgicus Anonymus, utpote cujus nomen intercidit, qui in tumultu Tigurino die S. Mathiæ ſacro veſpere cum alijs quibuſdam à piſcatore quopiam aquis præfocatus & ſubmerſus fuit, an. 1350.

XV. Donatus I. & Dietelmus VII. fratres, & filij ſupra memorati Friderici IV. de quo num. 12. Hi à Nobili quopiam de Straſs appellato emerunt munitam arcem Spiegelbergam dictam, prout teſtantur emptitiæ literæ an. 1376 erectæ. His ipſis Leopoldus Archidux Auſtriæ an. 1384 civitatem Winodurum, una cum Comitatu Kyburgenſi, poſtea verò 1386. etiam civitatem Bulachiam oppigneravit. Hoc ipſo anno ambo hi Comites Eccleſiam S. Antonij Uznachij fundarunt, ibidémque locum pro ſepultura ſua delegerunt.

Co-

Comes Donatus, prout noſtra documẽta & literæ teſtãtur, Dominus quoq; fuit Brettigoviæ & Daſſoſſij. Ipſe per ſuum Taneggenſem Præfectum Conradum Brunmañum Liechtẽſtiga oriundum hîc Fiſchingæ ſub Tilia judicia celebrari juſſit an. 1383. die Mercurij poſt feſtum S. Matthæi Apoſtoli, idq; factum ob ſupra memoratam oppignerationem Taneggẽſis Dominij & Dynaſtiæ. Memoratus Præfectus Taneggenſis poſtea quoque 1389. nomine ſuorum Principalium pari modo pro tribunali ſedit Wilæ cum omni illa uſurpata poteſtate, ac ſi Sirnachij ſub Tilia præſediſſet, quemadmodum itidem antiqua documenta teſtatum faciunt.

Idem prorſus egit Conradus Groſſmannus nomine Illuſtriſſimæ Kunegundæ Comitiſſæ Montfortianæ Comitiſſæ in Tockenburg an. 1409. proximo Martis die poſt feſtum S. Hilarij &c.

XVI. Donatus II. Comes Tockenburgicus occubuit Sempachij an. 1386.

XVII. Donatus III. & Fridericus V. fratres, Donati I. filij & ultimi Comites Tockenburgici fuere. Cum his Abbas Cuno ad S. Gallum arctum fœdus inijt, an. 1395. Comes Donatus improlis deceſſit an. 1400. Comes Fridericus tametſi ad annum 1436. provixerit, tandem etiam abſque liberis nullo relicto hærede ex mundo tranſijt, & in Monaſterio

Rütti-

Rüttinenſi ſepultus eſt. Comitatum porro ſuum Libero Baroni Petermanno de Rarona reliquit.

Porro antequam recenſeamus, quænam ſub dicto Barone Tockenburgico evenerint, operæ pretium nobis viſum eſt, hoc ipſo in loco reliquos Comites Tockenburgicos apponere & commemorare, de quibus ex nullis faſtis ac monumentis conſtat, quo tempore vixerint aut floruerint, ſuntque hi, qui ſequuntur.

XVIII. Berchtoldus, Rudolphus & Fridericus germani fratres & Comites de Tockenburg. Hi Eccleſiæ S. Joannis bona aliqua in Breitenovia aſſignârunt. pari modo Comes Thomas eidem Monaſterio luculentum domum reliquit.

XIX. In noſtro pervetuſto Codice funerali hic præter alia legimus: ad diem 9. Aprilis deceſſit Rudolphus Comes de Tockenburg etiamnum infans. Decimo octavo Novembris hæc verba habentur: obijt Illuſtriſſima Dña Wiliburgis de Tockenburg fundatrix Eccleſiæ, quæ eſt in Augia. Cùm ergo hæc ipſa Eccleſia an. 1179. eo ipſo tempore, quo B. Idda vixerat, jam extructa ſtetit, inde ſequitur, quòd hæc pia Comitiſſa S. Iddam ætate temporum anteceſſerit. Hoc totum eſt, quod hactenus de Comitibus Tockenburgicis compertum habere potuimus. Requieſcant in ſancta pace!

Quod

Quod porro ſtatum Comitatûs & Dynaſtiæ concernit durante ſcilicet regimine Nobilis Domini Petermanni de Rarona ex Valeſia oriundi, res clara eſt in hiſtorijs, Tockenburgum ea tempeſtate cum magnis incommodis ac temporum difficultatibus conflictatam fuiſſe; nam anno 1446 tempore belli Tigurini antiquioris Comites quidam in occupationem Tockenburgici territorij conſpirârunt, nominatim Comes Jacobus de Lüzelſtain, Comes Ludovicus de Helffenſtein, Joannes de Rechberg, qui omnes tum temporis Friderici III. Imperatoris à bellicis officijs erant. Hi omnes, quaſi corpus unum & anima una, adjunctis etiam ſibi Tigurinis, collecto eum in finem peditatu & equitatu Kirchbergam trangreſſi in Tockenburgicam ditionem ſe ſe infundere parabant: at, Barone Petermanno rerum ſuarum ſatagente, tantum virium adverſùs hoſtem collectum eſt, quantum ſufficere poterat retundendis externis molitionibus. Populares itaque, uti dixi, ductore Petermanno pro libertate ſua aliquid audendum rati priores in hoſtem moverunt, eundem ſui ſecurum Kirchbergæ invaſerunt non minùs animosè, quàm feliciter: nam complures de nobilitate cæſi, plebeij verò pleriq; fuſi fugatique ſunt. Tantulo ſcilicet impendio cordati animi tam ingens victoria ſtetit, patuítque manifeſto documento, illam ditio-

nem

nem firmiſſimè defendi, quæ pro mænibus ſuis habet fortia ac militaria pectora.

Ego, occaſione eorum, quæ recenſita ſunt, antehac multum ipſe mecum cogitare cæpi, utrum non memorata Parochia Kirchbergenſis nomen fortè ſuum acceperit à B. Idda noſtra, utpote quæ fuit Comitiſſa Kirchbergenſis in Suevia. at verò nullum hactenus meæ huius ſententiæ ſuffragium aut fundamentum alicubi invenire potui.

Quia verò vetus Tockenburgum, ubi S. Idda habitaverat, vî juriſdictionis ſuæ Parochialis Kirchbergam pertinet, illique obligatum eſt, hinc dubium non eſſe videtur ullum, quin S. Comitiſſa conſuetis Divinis officijs ibidem frequens interfuerit, & locum præſentia ſua nobilitarit, ſanctitate conſecrârit, eo ſcilicet tempore, quo arcem incoluit. Sed de his ſatis. nunc ad propoſitum.

Poſteaquam ergo Baro Petermannus de Rarona triginta annis Territorij Tockenburgici poſſeſſionem tenuit, totus ille tandem Comitatus cum omni juriſdictione eò pertinente an. 1468. circa feſtum S. Thomæ, vel, ut alij opinantur, an. 1469. 2. Julij de ſingulari Dei Providentia à Principali Monaſterio S. Galli emptus fuit, à quo laudatiſſimo & Illuſtriſſimo Cænobio in hodiernum uſq; diem pacificè obtinetur, regitur & ritè adminiſtratur.

Quan-

Quandoquidem, uti nullus dubito, inquilini huius inclyti Comitatûs Tockenburgici in lectione huius Capituli, facilè notaturi ſunt, quòd ſub regimine Propriorum Comitum plura inquieta & ærumnoſa tempora olim inciderint ac re ipsâ fuerint, quàm modò ſub temperato & placido clavo Principalis Cænobij ipſi experiantur, hinc illo ipſo ex capite habituros ſatis cauſæ illos exiſtimo, cur ſibi inprimis gratulentur tam mite & clemens Imperium, dein etiam, cur Deo ter Opt. Max. gratias ſingulares referant, quòd de ſpeciali eius diſpoſitione in talem moderatum ſtatum translati ſint, in quo pacificè & imperturbatè ſuæ inprimis ſaluti, dein etiam Oeconomiæ non ſine proventu intendere ac ſatagere poſſint. Deus infinitè bonus ac clemens dignetur porro in ventura tempora dictum Principale Monaſterium propitijs oculis ſuis reſpicere, ſubditos illius provehere, felicitatem illius Eccleſiæ augere, in majus & novis ſemper incrementis amplificare. id quod de intima animi mei medulla & viſceribus Sanctæ charitatis opto, precor, voveo.

CAPUT XXV.

Genealogia Comitum Kirchbergenſium.

POſteaquam præcedenti capite de Comitibus Tockenburgicis pro modulo noſtro aliquid tractatum eſt, injuriam ſanè faceremus Illuſtriſſimæ familiæ Kirchbergicæ, ex qua ortum & ſanguinem ſuum B. Idda recenſuit, niſi pari modo illorum Comitum Genealogiam breviter attexeremus, præſertim cùm ad dilucidationem hiſtoriæ de S. Idda hæc narratio ſervitura ſit. Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua, ait Eccleſiaſticus cap. 44. v. 1. omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriá adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. ibid. v. 7.

Illuſtriſſimi hi Comites reſidebant Kirchbergæ haud procul Imperiali civitate Ulmâ, Domini inſuper erant Dietenhemij, Wertingæ, Bellenbergæ non ignobilium locorum. Ipſorum Inſignia æri inciſa ad initium cap. 25. num. 4. videre licet. errante tamen nonnihil icone, quæ ſupra galeam non niſi pectoralem maſculum absque brachijs exprimere deberet.

M *Nomi-*

Nomina Comitum Kirchbergenſium.

I. ADam Comes Kirchbergenſis floruit circa annum 941. & poſtea. interfuit eodem anno Torneamento ſeu Haſtiludio Rotenburgi ad Tuberam.

II. Emprechtus Comes Kirchbergenſis interfuit haſtiludio Treveris ad Moſellã an. 1019.

III. Otto I. & Hartmannus I. florebant circa annum 1130.

IV. Wilhelmus I. & Hermannus fratres. Prior interfuit haſtiludio celebrato Tigure an. 1164. Quòd Hermannus Wilhelmi frater fuerit, Wifflingâ intellexi. aliàs in documentis eiuſdem Inclyti Monaſterij Wiblingenſis Wilhelmus non I. ſed II. huius nominis appellatur. Nihilominus hactenus de nullo alio Wilhelmo in faſtis quidquam legi, qui ſcilicet ante hunc vixiſſet.

V. Otto II. & Hartmannus II. fratres, floruere circa annum 1171. Hi ipſi circa annũ 1089. uti R. P. Petrus Caniſius & R. P. Henricus Murer in Helvetia Sancta ſentiunt, vel, uti R. P. Gabriel Bucelinus opinatur, circa annum 1099. fundârunt Monaſterium Wiblingenſe Ordinis S. Benedicti. Hermannus in memorata Helvetia Sancta Hartmannus appellatur, quam auctoritatem ego in dicto

1. ca-

1. capitulò ſecutus ſum, cùm apud pleroſq; hoc nomine exprimatur.

VI. S. Idda Comitiſſa Kirchbergenſis habuit ex dictis Comitibus alterutrum parentem, & Wilhelmum I. pro avo. Nupſit Henrico Comiti Tockenburgico an. 1179. & probabiliter quidem ætatis ſuæ vigeſimo circiter. unde conijci poteſt, eam circa annum Chriſti 1159. circiter natam fuiſſe. ſed de hac aliàs ſatis.

Hoc loco meritò ponitur Frater Wilhelmus Comes Kirchbergenſis Wilhelmi I. Nepos, patris S. Iddæ fratris filius, ſive patruelis, qui circa annum 1170. in Monaſterio Wiblingano, abdicato ſæculi faſtu piè ac Religiosè vixit, & cum nomine & odore ſanctitatis ibidem deceſſit. Hactenus autem nullo veſtigio comperire potui, an Otto vel potiùs Hartmannus huius pater fuerit. de hoc Religioſo Wilhelmo obiter memini capite 1.

VII. Cadalocus Comes vixit an. 1195.

VIII. Wilhelmus II. floruit circa annum 1220.

IX. Wilhelmus III. præcedentis Wilhelmi filius floruit circa an. 1310. interfuit haſtiludio celebrato Ravenſpurgi an. 1311.

X. Wilhelmus IV. interfuit haſtiludio inſtituto an. 1374. Eſslingæ ad Nicarum. hic Comes ex Agnete Duciſſa de Teck ſuſcepit ſequentes filios:

XI. Conradum I. & Eberhardum I. qui poſterior an. 1406. in Auguſtanum Epiſcopũ electus eſt.

XII. Philippus I. interfuit haſtiludio equeſtri Schaffhuſij an. 1392. interfuit quoque alteri haſtiludio an. 1408. Heilbrunæ ad Nicarum celebrato; niſi fortè quis credere malit Philippum illum fuiſſe alterum & ab hoc diſtinctum.

XIII. Conradus II. & Eberhardus II. Conradi I. filij. Hi Comites à Lazio ponuntur, ſed abſque anni, aut temporis ullius deſignatione, aut certo numero. Munſterus opinatur, annum Chriſti 1436 ipſis attribui debere, eam maximè ob cauſam, quòd numerus anni illius exceptis eorum nominibus Baptiſmalibus inveniatur in libro haſtiludij Stutgardij eodem anno celebrati.

XIV. Wilhelmus V. filius Conradi II. genitus ex Comitiſſa Firſtenbergica. Hic ipſe probabiliter eſſe creditur, qui interfuit anno 1479. Haſtiludio Herbipoli exhibito: nam & in hoc quoque Haſtiludio mentio fit præſentium Comitum de Kirchberg, at verò identidem nomina Baptiſmalia reticentur.

XV. Joannes, & Philippus II. fratres patrem habuere Eberhardum II. matrem verò Comitiſſam de Werthaim. fuere hi ultimi poſteritatis & lineæ ſuæ Kirchbergicæ. De Comite Joanne non habeo, quod ſcribam.

Phi-

Philippus interfuit equeſtri ludo Haidelbergæ ad Nicarum habito an. 1481. uti & Wilhelmus alius Comes Kirchbergicus, fortè huius nominis Quintus paulò ante poſitus an. 1479. quod parum controverſiæ habet, cum intercapedo duntaxat duorum annorum intercedat. Ultimus & poſtremus familiæ Kirchbergicæ Comes, ſi venerabili P. Petro Caniſio credimus, obijt an. 1510. & ad majores ſuos repoſitus eſt in Monaſterio Wiblingenſi, ubi Comites Kirchbergenſes à prima loci fundatione ſepeliri antiquitùs conſuevere, additis gentilitijs clypeis, galeis & Inſignijs. Narrationem Genealogiæ Kirchbergicæ, cui ex Munſtero & alijs plura addi debebant, concludit Lazius lib. 8. fol. 151. in hunc ſenſum: Hæc Illuſtris familia valde celebris facta eſt per Iddam Comitis cujuſdam Toggenburgici conjugé, quæ propter vitæ ſanctitaté & facta miracula in numerum Sanctorum relata eſt. qua ratione poſterius Elogium intelligendum ſit, ſupra cap. 18. inſinuavimus.

Poſteaquam ergo Illuſtriſſima & celeberrima hæc Comitum Kirchbergenſium familia à morte interciſa & penitùs extincta fuit, favore Caroli V. tum Romani Cæſaris & Ferdinandi I. factum eſt, ut in vicem & locum hujus adoptata Illuſtriſſima item Fuggerorum Comitum familia in Comitatum Kirchbergenſem introduceretur, quæ in hodiernam

 uſque

uſque diem eundem laudatiſſimè tenet & pacificè poſſidet. Circa quem humanæ viciſſitudinis ludum illud tandem divini Eccleſiaſtis acroama veriſſimum eſſe cognoſcitur, dum ait Eccle. 1. Generatio præterit, & generatio advenit: terra autem in æternum ſtat. Adeò non privati duntaxat homines, ſed coronata etiam capita cum ſuis ſceptris, quin integra ſtemmata immortalitatem ſucceſſionis ſibi polliceri auſa fatali illa mortis falce demetuntur. Quantum autem in nobis eſt, unicè Servatorem noſtrum JESUM rogamus, dignetur, pro ſua Bonitate, fidelibus defunctis æternam lucem ac requiem, pacem verò & felicitatem regnantibus ubivis magni nominis familijs concedere.

Ad finem hujus capitis monitum amicum Lectorem volo, ut, caſu quo in ſiſtemmate huius Genealogiæ præter mentem meam error quiſpiam comiſſus fuiſſet, benignè ignoſcere velit, paratúmque ſciat calamum meum ad omnia ea corrigenda, quorum meliorem notitiam ac informationem quacunque demum occaſione nactus fuero.

IHS

(MAR.)

* *
*

C A-

CAPUT XXVI.

Origo, propagatio & ſtatus Inclyti Monaſterij Fiſchingenſis, uti & ſucceſsio & Nomina Abbatum, qui hactenus ibidem præfuerunt.

TAmetſi plurima de origine Monaſterij noſtri, eiúſq; antiquitate ſupra cap. 24. dicta ſint, oportet tamen hoc loco, tanquam materiæ huic proprio per modum compendij aliqua addere, eâ tamen lege, ut ad vitandam moleſtam crambem antiqua non multùm repetantur, ſcitu verò neceſſaria non omittantur.

Quantum igitur excitato capite vigeſimo quarto & allegata ibidem auctoritate partim Epiſcopalis Conſtantienſis Archivij, partim antiqui Chronici, & vel maximè ex literis Reverendiſſimi Epiſcopi Aſcalonitani Suffraganei Conſtantienſis ad Summum Pontificem Gregorium XIII. datis colligitur, ſubſtantia totius veritatis de origine & antiquitate Monaſterij Fiſchingenſis eâ potiſſimùm traditione nititur, quòd nimirum occaſione cruentæ excitatæ perſecutionis, imperante Trajano, circa annum Chriſti 104. Chriſtiani quidam ex Italia in has partes profugerint, &, quia teſte Cæſare Baronio ad annum 100. non tan-

tùm Romæ & in Italia, ſed toto Romano Imperio furor ille deſæviebat, miſeri fideles inacceſſas ut plurimùm ſolitudines pro aſylo ſibi delegerint. eiuſmodi horridus, abruptus, reconditus & ſilvis impeditus locus tum temporis Fischinga erat, quò ſe dicti Chriſtiani receperant, & per nemora anfractúſque anguſtæ vallis diſperſi paſſim eremiticam ac rigidā vitam duxerant, unde in hodiernam uſque diem ſilva illa infra antiquum Tockenburgum ſita, ſilva fratrum, ſive Anachoretarum appellatur. His primis Anachoretis ſucceſſere continuâ ſerie ac pietatis propagatione alij atque alij, donec Ordo S. Benedicti eas quoque in partes introductus eſt, quem utpote ſuo vivendi modo valde congruum dicti Eremitæ amplexi in unum veræ Religionis corpus coaluerunt, ædificato ipſis in eum finem à Tockenburgicis idoneo quodam Monaſterio, in quo unà viverent, & Deo ſervirent. fama eſt, primum loci fundatorem in Eccleſiola Omnium Sanctorum, quæ hodiedum intra muros Cænobij viſitur, ſepultum fuiſſe, & quidem ſub ipſa templi ara conquieſcere. Hic locus, de quo in præſenti ſermo, initiò Augia S. Mariæ, dein cum tempore Piſcina, ac tandem Fiſchinga nominatus eſt. Pro ſigillo accepit hoc Monaſterium duos piſces in campo ſeu ſcuto Cæruleo. Veroſimiliter hoc Symbolum ipſi obvênit à Comitibus

To-

Tockenburgicis, tanquam Fundatoribus, qui ſupra galeam duos piſces exhibere ſolebant.

Perſuaſio antehac erat, quaſi hoc Monaſterium initiò ſolummodò Præpoſitura fuerit; ob varios Præpoſitos, qui in noſtris monumentis paſſim occurrunt. Quia verò præterea cognovimus, quòd Præpoſiti non ante Abbates ſive Prælatos, ſed uno eodémque tempore cum illis in rerum natura fuerint, vixerintque, inde probabile videtur, eos ceu quoſdam Priores fuiſſe, præſertim cùm in noſtro ſatis referto funerali codice unius tantùm Prioris, ſed plurium Præpoſitorum, atq; etiam unius Congregationis noſtræ Decani mentio fiat; unde longe conformius Archivio Conſtantienſi eſſe dicimus & cum eodem ſentimus, hoc ipſum Monaſterium ſtatim à primis ſui exordijs in Abbatiam erectum, ac fundatum fuiſſe. Eam ob cauſam omitto recenſere Præpoſitos, in quorum numerum referendus foret etiam Adelbertus Baro à Wangen, & meliore, ut puto jure & ordine ſolummodo Abbates enarro, eâ ſerie, quâ Monaſterio præfuerunt. Notandum tamen hoc loco eſt, quòd non omnes ſuo quiſque tempore ſignati ſint, utpote nobis incogniti; quare appoſiti numeri ſanè non ita intelligendi, & interpretandi ſunt, quaſi qui primo loco eſt poſitus, reipſa primus, alter immediatè ſecundus foret, ſed præcisè eo modo & ordine, quo à nobis in

M 5 mo-

monimentis noſtris inventi atque excerpti ſunt. quæ documenta cùm ob varios caſus, vaſtationes, incendia, mutationem & innovationem Religionis plurimùm paſſa ſint & magna ex parte interierint, tam accurata eſſe non poſſunt, quàm ſi manſiſſent integra.

Nomina quorundam Abbatum Monaſterij Fiſchingenſis.

I. MArquardus Abbas, de quo haud ſatis conſtat, quo tempore vixerit, & an primus Abbas fuerit. obijt 4. Martij. quo verò anno, latet.

II. Albertus Trungenſis. vixit circa ann. 972. mortuus 18. Maij.

III. Luitholdus Weiſſenbergenſis præfuit an. 981. obijt 23. Martij.

IV. Burckardus I. vulgò am Steig. vixit an. 987. deceſſit 2. Iulij. poſt hunc Abbatẽ anni intercedunt 42. intra quos nulla mentio ullius Abbatis, ſed magnum in monumentis invenitur ſilentium.

V. Wernerus Seedorffenſis præfuit an. 1029. poſt hunc nulla mentio de ullo Abbate ad ipſos 68. annos.

VI. Walterus Mörler vixit an. 1097. piè obiit 12. Martij.

VII. Joannes I. huius nominis. præfuit an. 1100. obiit 4. Martij.

VIII.

VIII. Udalricus Brigantinus obiit 30. Martij. quo verò anno, incertum eſt. Circa hæc tempora Monaſterium ferè ex toto periit. incertum verò eſt, an ex incendio, an alia potiùs calamitate & infortunio, quæ in humanis ſæpe accidere ſolent.

IX. Waltramnus Caſtellwardâ oriundus Profeſſus aliàs & Conventualis, ut vocant, Petershuſij ab Udalrico II. Conſtantienſi Epiſcopo afflicto Monaſterio Præpoſitus eſt an. 1138. Hic præclarus Abbas Monaſterium ex ruinis & quaſi ex ipſis cineribus ſuſtulit, & florenti ſtatui reſtituit.

Sub hoc Abbate prima fit mentio Monaſterij mulierum, quod olim contiguum fuerat Monaſterio virorum, & ponè illud erectum ſteterat, quod poſtmodum S. Jdda jam ſenio confecta præſentia ſuâ & Religioſis virtutibus conſecraverat. Probabile autem eſſe videtur, quòd Religioſuin hoc pii ſexûs aſceterium ab iſto Abbate exordium & primum lapidem non acceperit, ſed præcisè ſui renovationem. Non legitur quidquam de ulla Abbatiſſa Monaſterii huius præſide, at verò ex altera parte conſtat, non fuiſſe illud Domicilium ſororum, ut vocant, ſeu Laicarum, cùm in funerali codice noſtro expreſsè legantur iſta verba: obierunt N. Sanctimonialis, & N. Converſa noſtræ Congregationis. quo tem-

pore

pore hoc Monaſterium abolitum & antiquatum fuerit, infra ſuo loco dicetur.

Poſteaquam igitur Waltramnus octo annis laudatiſſimè præfuit, ſanctè in Domino conquievit an. 1146. 2. Aprilis.

X. Wilhelmus Hillauer vixit an. 1148. pariter extinctus 2. Aprilis.

XI. Nicolaus I. Sturzeneggâ oriundus, præfuit an. 1152.

XII. Rudolphus I. Münchwilenſis vixit an 1159. obiit 1. Aprilis

XIII. Rudolphus II. Schaffhuſam patriã habuit. præfuit an. 1126. obiit 6. Maii.

XIV. Cuno floruit an. 1177. obiit 17. Maii. huius Abbatis temporibus vixit Sancta Comitiſſa Idda Fiſchingenſis Cœnobii Patrona.

XV. Henricus I. Münchwilenſis vixit an. 1183. deceſſit 27. Februarii.

XVI. Burckhardus II. patriâ Hunzigkonenſis præfuit an. 1203. mortuus 9. Maii.

XVII. Chriſtophorus Schwend de Schwanberg huius nominis I. floruit an. 1208. ſpiritum Creatori reddidit an. 1209.

XVIII. Diethmarus Reinaviâ oriundus electus eſt an. 1209. animam egit an. 1234. 13. Iunii. quo tempore circa ann. Chriſti 1226. confinis arx Tockenburgum ab Abbate S. Galli occupatum fuit.

XIX. Joannes II. Herus Lutenbergâ oriundus præfuit Monaſterio ab an. 1234. uſque ad

ann.

ann. 1244. naturæ debitum ſolvit 11. Martii.

XX. Conradus I. à Landenberg Monaſterij Prælaturam adeptus eſt dicto an. 1244. rexit laudatiſſimè annis omnino 34. Ante hunc Abbatem, atque etiam circa exordia regiminis Monaſterium varijs modis afflictum non modicè hinc inde paſſum eſt partim in ædificijs & ſartis tectis, partim in Oeconomia & reditibus, ipſóque Religioſorum numero, idq; accidit ob repetitas incurſiones & vexationes Tyrannorum & malorum hominum quidvis audentium, ac rapto viventium effrænatam audaciam.

Anno Chriſti 1244. interveniente & mediante, ac etiam præſente Henrico I. Epiſcopo Conſtantienſi & Bertoldo Abbate ad S. Gallum in arce Tannegga gravis Controverſia feliciter ſepoſita ac temperata eſt, quæ inter partes exorta fuerat tempore Conradi Abbatis & Nobilis Equitis Conradi à Waldegg. Hic Abbas poſt inclytam Monaſterij adminiſtrationem vitam mortalē finijt an. 1278. 7. Martii.

XXI. Henricus II. patria Creuzlinganus electus eſt an. 1278. viam univerſæ carnis inijt an. 1283. 27. Februarij.

XXII. Henricus III. Huober dictus, Elgenſis Monaſterium regere incepit ann. 1283. ſed inter non modicas difficultates, à quibuſdam enim Nobilibus, nominatim ab Eberhardo & Arnoldo de Bürglen, fratribus plurimum

mùm vexatus fuit, qua de cauſa Monaſterium non modicè iminutum eſt. At verò ea controverſia tam noxia & periculoſa per mediationem Rudolphi II. Epiſcopi Conſtantienſis & aliorum Magnatum, præſertim Friderici ſenioris Comitis à Tockenburg maximo Cænobij bono ac fructu penitus ſublata, & ab Eberhardo illata Monaſterio damna redempta ac compenſata ſunt. Anno 1285. contermina arx antiquum Dockenburgum rurſus à quodam Abbate Campidunenſi invaſum occupatúmque fuit. Poſt laudabilem adminiſtrationem Abbas Henricus diem ſuum clauſit 10. Novemb. an. 1289.

XXIII. Jacobus à Præpoſitis ſeu Provoſtus huius nominis I. electus eſt illo ipſo anno, præfuit Monaſterio non malè. Anno 1291. in vicinia exorta ſunt gravia bella ac diſſenſiones; & quia Abbas S. Galli partes Rudolphi II. Epiſcopi Conſtantienſis adverſùs Albertum Auſtriæ Ducem ſecutus eſt, idcirco Dux urbem Wilam occupavit, vaſtavit & penitus ſolo æquavit. Abbas verò Jacobus vivere deſijt an. 1291. 5. Februarii.

XXIV. Conradus II. à Glotten Monaſterij gubernacula admiſit hoc ipſo an. 1297. Temporibus huius Abbatis Monaſterium multa beneficia accepit à Prænobili Henrico de Sternegg eiúſque Conjuge, quæ nata erat una de Richenſee, è contrario verò ipſi non medio-

dio-

diocria damna illata ſunt à Nobilibus equitibus & germanis fratribus Henrico & Luitholdo de Grieſſenberg, qui tunc temporis reſidebant in Magdenau. Denuo ex ſancto quodam inſtinctu boni albique ſpiritûs (quemadmodum ipſimet in ſuis literis teſtantur) in ſeipſos reverſi ſunt, & pænitentia actorum ducti Monaſterio illata damna compensârunt. Subinde Abbas Conradus an. 1316. 8. Iunij placidè conquievit.

XXV. Rudolphus III. à Rechberg Conrado ſucceſſit an. 1316. Hic Abbas varia privilegia & protectionis multiplicis literas atque diplomata impetravit ab Archiducibus Auſtriæ. In uno horum diplomate ipſe cum ſuo Monaſterio ab Archiduce Leopoldo municeps ac civis Kyburgenſis agnoſcitur, & honorifico eo titulo colitur. Poſteaquam hic Abbas per viginti tres annos ſacrum pedum tractavit, tandem fato ereptus eſt 21. Maij anno 1339.

XXVI. Eberhardus à Hulfftegg Abbas factus eſt eodem anno 1339. corpus exuit 17. Januarii an. 1346.

XXVII. Nicolaus II. Stezing appellatus eodem anno 4. Aprilis Abbas ritè eſſe juſſus eſt. fama eſt, bonum Oeconomum fuiſſe. poſtquam decem annis præfuit, fatis conceſſit 9. Januarii an. 1356.

XXVIII. Dietericus anno 1356. Abbatis ho-

honore decoratus eſt. Sub ipſo Monaſterium ad magnam inopiam redactum eſt ob improbitatem toparcharum, qui Cœnobium multis modis & invaſionibus exercuerunt, an. 1370. 2. Auguſti Dietericus ex hoc ſæculo tranſiit.

XXIX. Jacobus II. Babenſeür appellatus, patria Wilenſis Dieterico ſuffectus eſt. præfuit ſolidis annis ſeptendecim: difficultates temporum expertus eſt ingentes; nam ob incendium & caritatem annonæ contraxit magna debita, inſuper magnam rurſus bonorum diminutionem Cœnobium ſubiit, ita quidem, ut Abbas Jacobus jam non ampliùs par fuerit Religioſis ſuis honeſtè ſuſtentandis. Tandem plenus tribulationum naturæ ceſſit 12. Octobris an. 1387.

XXX. Joannes III. cognomento Härlin altero ſtatim die à ſepultura Abbatis Jacobi in munere gubernandi ſubrogatus eſt. Rexit Monaſterium 48. annis inſigni cum laude. expertus eſt tempora utriuſque ſpeciei & fortunæ bonæ & malæ. Anno 1392. à Joanne Mandach coëmit Dominium Landſperg dictum, cum Toparchijs Krilberg & Buch, & hoc quidem cum conſenſu Cunonis Abbatis ad S. Gallum tanquam Domini Feudi. Anno 1405. Tockenburgum à Sanct-Gallenſibus & Appenzellenſibus penitus dirutum & vaſtatum eſt.

Anno

Anno 27. gubernationis huius Abbatis, nimirum an. 1414. 6. Martii utrumque Monaſterium Fiſchingenſe virorum ac mulierum cum omni apparatu & ſupellectile templi miſerabili ſpectaculo totum quantum deflagravit, & in cineres ſubſedit. In hoc incendio prodigium illud eluxit ſervati illæſi medijs in flammis venerabilis capitis S. Iddæ, quod ſacrum lipſanum poſt tres dies inter ipſos ignitos cineres & arenas inviolatum repertum, indeque cum omnium admiratione & veneratione ſublatum eſt, uti ſupra fuſiùs cap. 9. meminimus.

Quia ergo poſt tam triſte buſtum Abbas Joannes facilè perſpexit, impoſſibile ſibi eſſe, & rem ſupra vires ſuas, utrumq; Monaſterium ex ſuo tumulo ac cinere reſuſcitare & in priſtinum reſtituere, omnem ſaltem opem & operam in eam ſolicitudinem contulit, ut virorum Cænobium erigeret. Hac ratione Monaſterium mulierum ab eo tempore imperfectum ſuis in ruderibus relictum fuit, quia non habuit ſublevantem ſe.

Vicini, uti par erat, magno dolore & tenero commiſerationis ſenſu affecti ſunt, ubi utramque domum Dei miſerè exuſtam contemplati ſunt, neque longiùs ferentes eas ruinas, notabilem opem ac ſummam Chriſtiana liberalitate contulerunt in unum, ut auxiliaribus hiſce quaſi manibus ac brachijs muri de-

nuo in altum ſuſtollerentur. Cæteris exemplo, quaſi anteſignanus præivit Prænobilis & Illuſtris Baro Eccekardus in Betwiſen, ipſum ſecuti ſunt reliqui Nobiles ac Magnates, qui modò & aliàs munificentiam ſuam Cænobio maximopere probârunt, & propterea pro ſpecialibus Monaſterij Benefactoribus habentur, & uti tales coluntur, quales nominatim ſunt Nobiles de Büel, à Waldegg Egdegſchwil, Schwäbisberg, Steina, Lüttenheid, Sternegg, Lütterſperg, Mörleri, Barones de Steinegg, de Sulzberg, Sculteti à Winterthur, Ruggeni de Tannegg.

Poſteaquam ergo Abbas Joannes III. Oeconomiam ſuam non mediocriter induſtriâ ſuâ reſtituit, ipſe an. 1419. Dominium Bichelſee unà cum arce & Dynaſtia Balderſchwil & Niderhofen coëmit à Beringêris fratribus & Joanne Rudolpho à Landenberg & Greiffenſee. Tandem poſt laudatiſſimam gubernationem in longum ſanè productam plenus dierum bonorum venerabilis & præclarus hic Abbas ſenio confectus liberè ac ſponte grave regiminis onus depoſuit, ac reſignavit. poſito officio non niſi annum ſupervixit, Mortalitatè exuit, immortalitatem induit 5. Auguſti an. 1436. ſepulcrum nactus eſt non procul ſacello S. Iddæ, nimirum ubi theſaurus ipſius erat in vita, ibi oportebat & corpus eſſe poſt mortem.

XXXI.

XXXI. Joannes Mettler huius nominis IV. Schwizienſis factâ ſui Prædeceſſoris reſignatione Abbas nominatus eſt an. 1435. menſe Majo. Patribus ſuis appoſitus eſt an. 1465. 16. Maij.

XXXII. Henricus IV. cognomine Scheuchti Lucernas ad dignitatem poſtulatus eſt ex Monaſterio S. Galli, non quòd deeſſent, qui eligi potuiſſent ex gremio, ſed magis ob eam cauſam, quòd, optione facta difficili, ſuffragia diſſentirent, nec vota in unum certum conſpirarent. Gubernationem ſuam auſpicatus eſt an. 1465. ad amicam eius requiſitionem Adm. Rev. P. Albertus à Bonſtetten Decanus Eremitanus eruditum calamum apprehendit, & vitam S. Iddæ Comitiſſæ ex pervetuſtis & exoletis Germanicis Exemplaribus excerptam in Latinum tranſtulit, typo dedit, & Henrico Abbati dedicavit an. 1485. 25. Novembris. Hic ipſe Abbas Henricus ſepulchrũ S. Iddæ, ut glorioſius eſſet, ex ſectis politiſque lapidibus magnificè extulit, pro ut hodiedum viſitur.

Anno 1468. (nonnulli annum ſexageſimũ nonum ponunt) Udalricus Abbas S. Galli Comitatum Tockenburgicum à Barone Petermanno & Wilhelmo de Rarona coëmit. Ab eo tempore tranquillè & ſine contradictione à dicto Principali Monaſterio poſſidetur.

Abbas Henricus poſt laudabile 45. anno-

quod eſt, quòd pauci ipſorum fuerint, curvæ ſcilicet in terram animæ & cæleſtium inanes.

Plebs & vulgus peſſimi exempli magnete tracta pariter in hæreſin ſe projecit, paucis exceptis bonæ mentis & animi mortalibus. Tum enimverò, uno eodémque impetu profanata templa, dejectæ aræ, peſſum datæ ſacræ imagines, calcatæ reliquiæ, ſacra omnia ſpreta, contempta, proculcata, aut in profanos ac domeſticos uſus converſa. Quantum damni Monaſterium noſtrum ex hoc malorum cataclyſmo & Religionis mutatione acceperit, verbis explicari nequit. Sed ad Seebachium noſtrum redeamus. hic ex paſtore Lupus effectus in dicto ſtatu Apoſtaſiæ firmus ac ſolidus, nihilominùs per ſex integros annos Fiſchingæ dominabatur, quaſi legitimus Abbas foret, & non potiùs ut degener Eccleſiæ ac ſacri Ordinis filius & ſui nominis macula; donec tandem poſt cladem Cappellenſem ab orthodoxis Cantonibus abdicatus & annuo quodam proventu inſtructus loco faceſſere juſſus eſt; quem Tigurini ad ſe recipientes verbi ſui ſcilicet eximium præconē creârunt. Exinde adminiſtratio Cænobij uni alteri cuidam Apoſtatæ (æqua ſcilicet permutatione) demandata eſt. Vocabatur is Andreas Eggli, qui certis conditionibus eo ſibi commiſſo munere per octennium functus eſt.

Inter hæc cùm anno. 1534. Monaſterium S.

Bene-

Benedicti Conſtantiæ ad Scotos dictum factâ Religionis mutatione dirutum pariter & ſolo æquatum fuiſſet, tum Abbas ille à Cantone Schweitz in hoc noſtro Monaſterio collocatus, unâque ipſi adminiſtratio concredita eſt. quo facto dictus ille Eggli, quaſi jure offenſus, querelam ſuam Badenam deportavit, ibidémque tantum effecit, ut dictus Abbas denuò ipſi adminiſtrationem cedere juſſus fuerit. Abbas non multò pòſt exilio ſuo confectus ærumnoſam vitam hìc finijt.

Quindecim ferè annis duravit hæc miſeria & abominatio deſolationis in loco ſacro, quo tempore nulla ara, nullus Dei cultus Fiſchingæ erat: cùm denuò lux è Cælo affulſit. Inclyti namque ſeptem Catholici Cantones circa annum Chriſti 1540. in eam cogitationem venerunt, ut veram Religionem, Deique cultum in proprium, ſed deſertum locum ſuum introducerent: quod & feliciter re ipsâ præſtiterunt; nam violentus bonorum Eccleſiaſticorum Eggli res ſuas habere, & abſcedere juſſus eſt, prout paulò pòſt fuſiùs enarrabitur.

XXXV. Marcus Schenckli Wilenſis ab inclyti orthodoxis Cantonibus per duos ablegatos à Dietelmo Blarero Abbate Principalis Monaſterij S. Galli poſtulatus & Monaſterio Fiſchingenſi exinde Præpoſitus eſt an. 1540. 6. Auguſti. Magna principio ipſi inquies & mul-

pore hoc Monaſterium abolitum & antiquatum fuerit, infra ſuo loco dicetur.

Poſteaquam igitur Waltramnus octo annis laudatiſſimè præfuit, ſanctè in Domino conquievit an. 1146. 2. Aprilis.

X. Wilhelmus Hillauer vixit an. 1148. pariter extinctus 2. Aprilis.

XI. Nicolaus I. Sturzeneggâ oriundus, præfuit an. 1152.

XII. Rudolphus I. Münchwilenſis vixit an 1159. obiit 1. Aprilis

XIII. Rudolphus II. Schaffhuſam patriá habuit. præfuit an. 1126. obiit 6. Maii.

XIV. Cuno floruit an. 1177. obiit 17. Maii. huius Abbatis temporibus vixit Sancta Comitiſſa Idda Fiſchingenſis Cœnobii Patrona.

XV. Henricus I. Münchwilenſis vixit an. 1183. deceſſit 27. Februarii.

XVI. Burckhardus II. patriâ Hunzigkonenſis præfuit an. 1203. mortuus 9. Maii.

XVII. Chriſtophorus Schwend de Schwanberg huius nominis I. floruit an. 1208. ſpiritum Creatori reddidit an. 1209.

XVIII. Diethmarus Reinaviâ oriundus electus eſt an. 1209. animam egit an. 1234. 13. Iunii. quo tempore circa ann. Chriſti 1226. confinis arx Tockenburgum ab Abbate S. Galli occupatum fuit.

XIX. Joannes II. Herus Lutenbergâ oriundus præfuit Monaſterio ab an. 1234. uſque ad

ann.

ann. 1244. naturæ debitum ſolvit 11. Martii.

XX. Conradus I. à Landenberg Monaſterij Prælaturam adeptus eſt dicto an. 1244. rexit laudatiſſimè annis omnino 34. Ante hunc Abbatem, atque etiam circa exordia regiminis Monaſterium varijs modis afflictum non modicè hinc inde paſſum eſt partim in ædificijs & ſartis tectis, partim in Oeconomia & reditibus, ipſóque Religioſorum numero, idq; accidit ob repetitas incurſiones & vexationes Tyrannorum & malorum hominum quidvis audentium, ac rapto viventium effrænatam audaciam.

Anno Chriſti 1244. interveniente & mediante, ac etiam præſente Henrico I. Epiſcopo Conſtantienſi & Bertoldo Abbate ad S. Gallum in arce Tannegga gravis Controverſia feliciter ſepoſita ac temperata eſt, quæ inter partes exorta fuerat tempore Conradi Abbatis & Nobilis Equitis Conradi à Waldegg. Hic Abbas poſt inclytam Monaſterij adminiſtrationem vitam mortalẽ finijt an. 1278. 7. Martii.

XXI. Henricus II. patria Creuzlinganus electus eſt an. 1278. viam univerſæ carnis inijt an. 1283. 27. Februarij.

XXII. Henricus III. Huober dictus, Elggenſis Monaſterium regere incepit ann. 1283. ſed inter non modicas difficultates, à quibuſdam enim Nobilibus, nominatim ab Eberhardo & Arnoldo de Bürglen, fratribus plurimum

mùm vexatus fuit, qua de cauſa Monaſterium non modicè iminutum eſt. At verò ea controverſia tam noxia & periculoſa per mediationem Rudolphi II. Epiſcopi Conſtantienſis & aliorum Magnatum, præſertim Friderici ſenioris Comitis à Tockenburg maximo Cænobij bono ac fructu penitus ſublata, & ab Eberhardo illata Monaſterio damna redempta ac compenſata ſunt. Anno 1285. contermina arx antiquum Dockenburgum rurſus à quodam Abbate Campidunenſi invaſum occupatúmque fuit. Poſt laudabilem adminiſtrationem Abbas Henricus diem ſuum clauſit 10. Novemb. an. 1289.

XXIII. Jacobus à Præpoſitis ſeu Provoſtus huius nominis I. electus eſt illo ipſo anno, præfuit Monaſterio non malè. Anno 1291. in vicinia exorta ſunt gravia bella ac diſſenſiones; & quia Abbas S. Galli partes Rudolphi II. Epiſcopi Conſtantienſis adverſùs Albertum Auſtriæ Ducem ſecutus eſt, idcirco Dux urbem Wilam occupavit, vaſtavit & penitus ſolo æquavit. Abbas verò Jacobus vivere deſijt an. 1291. 5. Februarii.

XXIV. Conradus II. à Glotten Monaſterij gubernacula admiſit hoc ipſo an. 1297. Temporibus huius Abbatis Monaſterium multa beneficia accepit à Prænobili Henrico de Sternegg eiúſque Conjuge, quæ nata erat una de Richenſee, è contrario verò ipſi non medio-

diocria damna illata ſunt à Nobilibus equitibus & germanis fratribus Henrico & Luitholdo de Grieſſenberg, qui tunc temporis reſidebant in Magdenau. Denuo ex ſancto quodam inſtinctu boni albique ſpiritûs (quemadmodum ipſimet in ſuis literis teſtantur) in ſeipſos reverſi ſunt, & pænitentia actorum ducti Monaſterio illata damna compensârunt. Subinde Abbas Conradus an. 1316. 8. Iunij placidè conquievit.

XXV. Rudolphus III. à Rechberg Conrado ſucceſſit an. 1316. Hic Abbas varia privilegia & protectionis multiplicis literas atque diplomata impetravit ab Archiducibus Auſtriæ. In uno horum diplomate ipſe cum ſuo Monaſterio ab Archiduce Leopoldo municeps ac civis Kyburgenſis agnoſcitur, & honorifico eo titulo colitur. Poſteaquam hic Abbas per viginti tres annos ſacrum pedum tractavit, tandem fato ereptus eſt 21. Maij anno 1339.

XXVI. Eberhardus à Hulfſtegg Abbas factus eſt eodem anno 1339. corpus exuit 17. Januarii an. 1346.

XXVII. Nicolaus II. Stezing appellatus eodem anno 4. Aprilis Abbas ritè eſſe juſſus eſt. fama eſt, bonum Oeconomum fuiſſe. poſtquam decem annis præfuit, fatis conceſſit 9. Januarii an. 1356.

XXVIII. Dietericus anno 1356. Abbatis ho-

honore decoratus eſt. Sub ipſo Monaſterium ad magnam inopiam redactum eſt ob improbitatem toparcharum, qui Cænobium multis modis & invaſionibus exercuerunt, an. 1370. 2. Auguſti Dietericus ex hoc ſæculo tranſiit.

XXIX. Jacobus II. Babenſeür appellatus, patria Wilenſis Dieterico ſuffectus eſt. præfuit ſolidis annis ſeptendecim: difficultates temporum expertus eſt ingentes; nam ob incendium & caritatem annonæ contraxit magna debita, inſuper magnam rurſus bonorum diminutionem Cænobium ſubiit, ita quidem, ut Abbas Jacobus jam non ampliùs par fuerit Religioſis ſuis honeſtè ſuſtentandis. Tandem plenus tribulationum naturæ ceſſit 12. Octobris an. 1387.

XXX. Joannes III. cognomento Härlin altero ſtatim die à ſepultura Abbatis Jacobi in munere gubernandi ſubrogatus eſt. Rexit Monaſterium 48. annis inſigni cum laude. expertus eſt tempora utriuſque ſpeciei & fortunæ bonæ & malæ. Anno 1392. à Joanne Mandach coëmit Dominium Landſperg dictum, cum Toparchijs Krilberg & Buch, & hoc quidem cum conſenſu Cunonis Abbatis ad S. Gallum tanquam Domini Feudi. Anno 1405. Tockenburgum à Sanct-Gallenſibus & Appenzellenſibus penitus dirutum & vaſtatum eſt.

Anno 27. gubernationis huius Abbatis, nimirum an. 1414. 6. Martii utrumque Monaſterium Fiſchingenſe virorum ac mulierum cum omni apparatu & ſupellectile templi miſerabili ſpectaculo totum quantum deflagravit, & in cineres ſubſedit. In hoc incendio prodigium illud eluxit ſervati illæſi medijs in flammis venerabilis capitis S. Iddæ, quod ſacrum lipſanum poſt tres dies inter ipſos ignitos cineres & arenas inviolatum repertum, indeque cum omnium admiratione & veneratione ſublatum eſt, uti ſupra fuſiùs cap. 9. meminimus.

Quia ergo poſt tam triſte buſtum Abbas Joannes facilè perſpexit, impoſſibile ſibi eſſe, & rem ſupra vires ſuas, utrumq; Monaſterium ex ſuo tumulo ac cinere reſuſcitare & in priſtinum reſtituere, omnem ſaltem opem & operam in eam ſolicitudinem contulit, ut virorum Cænobium erigeret. Hac ratione Monaſterium mulierum ab eo tempore imperfectum ſuis in ruderibus relictum fuit, quia non habuit ſublevantem ſe.

Vicini, uti par erat, magno dolore & tenero commiſerationis ſenſu affecti ſunt, ubi utramque domum Dei miſerè exuſtam contemplati ſunt, neque longiùs ferentes eas ruinas, notabilem opem ac ſummam Chriſtiana liberalitate contulerunt in unum, ut auxiliaribus hiſce quaſi manibus ac brachijs muri de-

nuo in altum ſuſtollerentur. Cæteris exemplo, quaſi anteſignanus præivit Prænobilis & Illuſtris Baro Ecceкardus in Betwiſen, ipſum ſecuti ſunt reliqui Nobiles ac Magnates, qui modò & aliàs munificentiam ſuam Cænobio maximopere probârunt, & proptera pro ſpecialibus Monaſterij Benefactoribus habentur, & uti tales coluntur, quales nominatim ſunt Nobiles de Büel, à Waldegg Egdegſchwil, Schwäbisberg, Steina, Lüttenheid, Sternegg, Lütterſperg, Mörleri, Barones de Steinegg, de Sulzberg, Sculteti à Winterthur, Ruggeni de Tannegg.

Poſteaquam ergo Abbas Joannes III. Oeconomiam ſuam non mediocriter induſtriâ ſuâ reſtituit, ipſe an. 1419. Dominium Bichelſee unà cum arce & Dynaſtia Balderſchwil & Niderhofen coêmit à Beringêris fratribus & Jaanne Rudolpho à Landenberg & Greiffenſee. Tandem poſt laudatiſſimam gubernationem in longum ſanè productam plenus dierum bonorum venerabilis & præclarus hic Abbas ſenio confectus liberè ac ſponte grave regiminis onus depoſuit, ac reſignavit. poſito officio non niſi annum ſupervixit, Mortalitatē exuit, immortalitatem induit 5. Auguſti an. 1436. ſepulcrum nactus eſt non procul ſacello S. Iddæ, nimirum ubi theſaurus ipſius erat in vita, ibi oportebat & corpus eſſe poſt mortem.

XXXI.

XXXI. Joannes Mettler huius nominis IV. Schwizienſis factâ ſui Prædeceſſoris reſignatione Abbas nominatus eſt an. 1435. menſe Majo. Patribus ſuis appoſitus eſt an. 1465. 16. Maij.

XXXII. Henricus IV. cognomine Scheuchti Lucernas ad dignitatem poſtulatus eſt ex Monaſterio S. Galli, non quòd deeſſent, qui eligi potuiſſent ex gremio, ſed magis ob eam cauſam, quòd, optione facta difficili, ſuffragia diſſentirent, nec vota in unum certum conſpirarent. Gubernationem ſuam auſpicatus eſt an. 1465. ad amicam eius requiſitionem Adm. Rev. P. Albertus à Bonſtetten Decanus Eremitanus eruditum calamum apprehendit, & vitam S. Iddæ Comitiſſæ ex pervetuſtis & exoletis Germanicis Exemplaribus excerptam in Latinum tranſtulit, typo dedit, & Henrico Abbati dedicavit an. 1485. 25. Novembris. Hic ipſe Abbas Henricus ſepulchrũ S. Iddæ, ut glorioſius eſſet, ex ſectis politiſque lapidibus magnificè extulit, pro ut hodiedum viſitur.

Anno 1468. (nonnulli annum ſexageſimũ nonum ponunt) Udalricus Abbas S. Galli Comitatum Tockenburgicum à Barone Petermanno & Wilhelmo de Rarona coëmit. Ab eo tempore tranquillè & ſine contradictione à dicto Principali Monaſterio poſſidetur.

Abbas Henricus poſt laudabile 45. anno-

rum regimen tandem ſenio feſſus abdicavit ſe gubernatione an. 1506. 2. Octobris retento titulo & dignitate Abbatis per quadriennium. Interea verò Cænobium adminiſtrabat Adm. R. P. Joannes Mayle Tockenburgo oriundus.

XXXIII. Joannes Mayle huius nominis V. ab obitu Prædeceſſoris Henrici ex adminiſtratore in Abbatem electus eſt an. 1510. 4. Maij. Anno Chriſti 1515. Abbas Chriſtianus Monaſterij S. Joannis in valle Thure cum hoc Abbate arctum piúmq; fœdus inijt, ſancitis utrinque certis conditionibus per mutuas literas, eum in finem conceptas.

Udalricus Zwinglius hunc Abbatẽ cõſanguinitate attingebat. accidit autẽ, ut Zwinglius ad illum occaſione quadam inviſeret, & de varijs colloqueretur. Inter alia volatica verba, ut fieri ſolet, dicebat illi, ſe paulo pòſt ſacrum habitum cum cucullo exuturum. Tum enimverò Abbas Joannes Zelo domûs Dei ſuccenſus deprecari & diſſuadere non deſtitit, hortarique hominem per omnia ſacra perrexit, ut à nefarijs conſilijs, noxijs & ſacrilegis novitatibus deſiſteret. quæ tamen boni cordis & oris diſertiſſima verba nihil cum Zwinglio profecerunt; dicitúrque bonus Abbas ob infrunitam cognati ſui perficaciã mærore quodã animi obrutus ante tempus mortuus.

tuus. quæ mors incidit in annum 1523. diem Auguſti decimum quartum.

XXXIV. Henricus Stoll eius nominis V. cognomento alio Seebach appellatus Tigurinus Joanni in clavo Monaſterij ſucceſſit eodem anno 1523. præfuit Monaſterio ut Catholicus Abbas tribus annis. Poſteaquam verò Tigurum & potior pars Turgoiæ in verba Zwinglij juravit, eiúſque doctrinam acceptavit, hic ipſe Seebachius in ſpiritu Eliæ forti & ignito ſuggeſtum conſcendiſſe, & , quâ præditus erat facundia, populum commonuiſſe dicitur, ut anguem in herba, hoc eſt, periculoſas novitates vitaret, in antiqua probatáq; Religione perduraret. At ecce repentinam metamorphoſin & rerum mutationem ſanè tragicam! nam poſteaquam germani ipſius fratres apoſtatricem quandam Monialem Töſio ad ipſum adduxerunt, vetita illa eſcâ captus bonus Stolo, in ſirenis iſtius gratiam veram fidem ejuravit; adeóque verum Sancti Spiritûs oraculum in ipſo locum invènit, quod ait Eccli. 19. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes. Portâ diſciplinæ ſemel effractâ, exemplum Pſeudo-Paſtoris ſecuti Cænobîtæ reliqui, velut oves errantes, quà via facta, proruerunt in vetitum, ſéque in Apoſtasîam præcipitârunt: plerique enim eorum Prædicantes, ſive novi ac quinti Evangelij buccinatores evaſerunt. Solatium ali-

quod eſt, quòd pauci ipſorum fuerint, curvæ ſcilicet in terram animæ & cæleſtium inanes.

Plebs & vulgus peſſimi exempli magnete tracta pariter in hæreſin ſe projecit, paucis exceptis bonæ mentis & animi mortalibus. Tum enimverò, uno eodémque impetu profanata templa, dejectæ aræ, peſſum datæ ſacræ imagines, calcatæ reliquiæ, ſacra omnia ſpreta, contempta, proculcata, aut in profanos ac domeſticos uſus converſa. Quantum damni Monaſterium noſtrum ex hoc malorum catacliſmo & Religionis mutatione acceperit, verbis explicari nequit. Sed ad Seebachium noſtrum redeamus. hic ex paſtore Lupus effectus in dicto ſtatu Apoſtaſiæ firmus ac ſolidus, nihilominùs per ſex integros annos Fiſchingæ dominabatur, quaſi legitimus Abbas foret, & non potiùs ut degener Eccleſiæ ac ſacri Ordinis filius & ſui nominis macula; donec tandem poſt cladem Cappellenſem ab orthodoxis Cantonibus abdicatus & annuo quodam proventu inſtructus loco faceſſere juſſus eſt; quem Tigurini ad ſe recipientes verbi ſui ſcilicet eximium præconē creârunt. Exinde adminiſtratio Cænobij uni alteri cuidam Apoſtatæ (æqua ſcilicet permutatione) demandata eſt. Vocabatur is Andreas Eggli, qui certis conditionibus eo ſibi commiſſo munere per octennium functus eſt.

Inter hæc cùm anno. 1534. Monaſterium S.

Bene-

Benedicti Conſtantiæ ad Scotos dictum factâ Religionis mutatione dirutum pariter & ſolo æquatum fuiſſet, tum Abbas ille à Cantone Schweitz in hoc noſtro Monaſterio collocatus, unáque ipſi adminiſtratio concredita eſt, quo facto dictus ille Eggli, quaſi jure offenſus, querelam ſuam Badenam deportavit, ibidémque tantum effecit, ut dictus Abbas denuò ipſi adminiſtrationem cedere juſſus fuerit. Abbas non multò pòſt exilio ſuo confectus ærumnoſam vitam hic finijt.

Quindecim ferè annis duravit hæc miſeria & abominatio deſolationis in loco ſacro, quo tempore nulla ara, nullus Dei cultus Fiſchingæ erat: cùm denuò lux è Cælo affulſit. Inclyti namque ſeptem Catholici Cantones circa annum Chriſti 1540. in eam cogitationem venerunt, ut veram Religionem, Deique cultum in proprium, ſed deſertum locum ſuum introducerent: quod & feliciter re ipsâ præſtiterunt; nam violentus bonorum Eccleſiaſticorum Eggli res ſuas habere, & abſcedere juſſus eſt, prout paulò pòſt fuſiùs enarrabitur.

XXXV. Marcus Schenckli Wilenſis ab inclyti orthodoxis Cantonibus per duos ablegatos à Dietelmo Blarero Abbate Principalis Monaſterij S. Galli poſtulatus & Monaſterio Fiſchingenſi exinde Præpoſitus eſt an. 1540. 6. Auguſti. Magna principio ipſi inquies &

multum negotij fuit cum Apoſtatis, qui ſe craſſo errore ad hucMonaſterij conventuales appellabant, & pro talibus etiam haberi volebant, in ordine ad bonum utile duntaxat & ſuſtentationem. Reſpondit Abbas, vir minimè meticuloſus, ſed cordatus ac magnanimus, nihil ſe debere illis de patrimonio Chriſti, neque de altari, qui circa altare jam non ampliùs occuparentur: cæterùm ſi in ſe reverſi ad Monaſterium redire, ibíque canere, orare & pſallere, legere, concionari & cætera ad divinum cultum pertinentia ex præſcripto Regulæ peragere vellent, uti antehac factitare ſolebant, curaturum ſe omnino pro viribus, ut in loco ſacræ paſcuæ nihil ipſis deeſſet.

Porro contentio hæc erat aſſidua & frequens, & repetitis vicibus propterea Abbati Badenam ad jus ſuum proſequendum eundum erat.

PrædicansBichelſeenſis, cuius uxor durante mariti concione domi ſe ſuſpendit, repetebat ſuum patrimonium & hæreditatem, quam in Monaſterium attulerat, eáque portio, ad redimendam hominis importuni vexationẽ, ipſi adjudicata fuit. at verò bonum Deo ſemel legitimè donatum, & cum iniquitate revocatum malè ipſi ceſſit: nam liberi ipſius & filiorum filij ad duram ac diram mendicitatem redacti extrema rerum neceſſitate arroſi confectique ſunt.

Eodem

Eodem año 1541. Prædicans Sirnachrenſis Cantonibus ſignificavit, quâ ratione ad Monaſterium ipſe reverti nequiret, eo ex capite, quòd uxorem duxiſſet, juxta illud Lucæ 14. Uxorem duxi, & ideò non poſſum venire: rogare proin ſe, ut ab hoc onere liber declararetur, ita, ut neque ipſe à Monaſterio, neque hæredes ſui ſuper ulla quacunque controverſia conveniri poſſent; viciſſim neque ſe à Monaſterio quidquam deinceps, quocunque colore juris, aut titulo poſtulaturum. Rata habita eſt utrinque transactio & erecto codicillo confirmata.

Supererat inter partes litigâtes Adminiſtrator Apoſtata Andreas Eggli, qui reformationis hujus impatiens neutiquam ſlatæ ſententiæ & judicio acquieſcere volebat. Poſteaquam verò cum Abbate Marco an. 1540. Badenam citatus coràm Cantonibus in concilio comparuit, mandatum ipſi eſt ac præceptum ſeriò & graviter, ut novo conſtituto Abbati lampadem & poteſtatem traderet, adminiſtratione cederet, claves, literas, documenta, ſigilla ſalva omnia & inviolata fide bonâ & integrâ eidem reſtitueret, ipſe verò perfectis omnibus & fideliter præſtitis loco ſacro mox exiret. Nihilominus pro geſta aliquot annis adminiſtratione, in recognitionem, ut vocant, honeſta ipſi pecuniæ ſumma numerata, & conſtituta eſt.

At verò etiam hunc pediſſequa Dei pœna ac vindicta è veſtigio inſecuta eſt minimè tardo pede: nam, tameſi ſibi à ſuo ex Monaſterio diſceſſu ſatis ſplendidam haud procul inde domum extruxiſſet, in qua hoſpitem egit, ſenſim tamen dilabentibus malè partis eò inopiæ devênit, ut filiam reliquerit, quæ cum non haberet, quod roderet, paupertate conſumpta perijt atque contabuit. Ut verbo rem totam abſolvam, ne unicus quidem ex dictis Apoſtatis compertus eſt, qui bonum poſt ſe odorem, aut memoriam in Benedictionibus dulcedinis reliquerit. quin omnes & ſingulos potiùs gravis manus Domini tetigit, ut poſteris documento eſſent, bonum eſſe homini, ſi in ea vocatione, in qua primitùs vocatus eſt, permaneat. uti Apoſtolus monet 1. Corinth. 7. Denuo, remotis hiſce petris ſcandali & lapidibus offenſionis, Abbati Marco pacifica quies ac tranquillitas parta eſt.

Huic ipſi Abbati ab inclytis Cantonibus Monaſterium quoque Thenickenſe, in quo pariter multo tempore divinus cultus deſierat, commiſſum ac demandatum eſt, cujus etiam ſedulam curam habuit, donec id an. 1548. Religioſæ Dominæ Sophiæ de Grütt ex Magdenovienſi Parthenone eò poſtulatæ traditum fuit.

Alias Divinæ gloriæ Zelotes hic Abbas mox in primo gubernationis ſuæ exordio con-

fractas aras ſedulò rurſus conquiſivit, conquiſitas erexit, erectas honeſto apparatu & ſupellectili ornavit. Cùm propter transfugiũ deeſſent ſui ordinis Religioſi, conſtituit initiò pro hujate parochia pium Sacerdotẽ ſæcularẽ, pro ſacellano verò unum ex Patribus Auguſtinianis. Inter hæc pro decôre domùs Dei ſolicitus totus in eam ſacram curam incubuit, ut ſelectos juvenes ſacro Inſtituto habiles in locum Apoſtatarum ſubrogaret, quod paulò poſt factum, & divinus propediem cultus magnis incrementis reſtauratus eſt. Tantus igitur ac talis Abbas, poſtquam pro gloria Dei tredecim integris annis multa tulit, fecitque, incredibileſque labores indefeſſo ſtudio exantlavit, demum agendo fortis, patiendo durus ad præſtituta Dei famulis præmia avolavit 29. Maij an. 1553. & infra Cathedram ſepultus eſt, credo ideò, ut poſt mortem virtutibus ſuis nobis concionetur.

XXXVI. Joannes Rudolphus Rütti, ſive Rüttimannus Wilâ oriundus Abbas dictus eſt 14. Junij ejuſdem anni. Vix ipſi perſuaderi potuit, ut honorem admitteret, quem admiſſum paulo poſt iterum ſponte poſuit: quippe nonniſi triennio ſacrum pedum tenuit, piè defunctus an. 1556. 7. Novembr.

XXXVII. Henricus Landſperger eius nominis VI. patria Raperſwilenſis Abbas electus eſt 8. Decembris anno eodem 1556. poſt noven-

vennalem gubernationem Berwiſij peſte extinctus eſt an. 1565. 29. Decembris, Fiſchingæ ſepultus.

XXXVIII. Henricus VII. cognomento Gölli Dübachienſis primùm 15 Julij an. 1566. in Abbatem electus eſt, vacante Abbatiâ plus quàm medio anno. Cauſa huius interregni erat, quia Monaſterium tanta debitorum mole ab aliquot annis uſq; adeò gravatum erat, ut ijs expungendis vix modus ullus ſuppeteret. adhæc bini duntaxat Cõventuales reliqui erant, nimirum iſte Henricus & F. Caſparus Egger: cæteros omnes peſtis abſumpſerat. Poſtliminio adminiſtratio dicto P. Henrico concredita eſt, eâ conditione, ut bonum ſe œconomum probaret: brevíque, quòd talis eſſet, exprimento patuit. quo præbito ſpecimine præſente Abbate Eremitano Joachimo & Hieronymo Abbate Murenſi Abbatia Monaſterij plenè ipſi collata confirmatáque fuit initio anni 1567. Non multò poſt deceſſit adhuc reliquus Conventualis F. Caſparus, eiúſque morte totum Monaſterium ad unũ unicum caput redactum eſt; quare coactus fuit Abbas Henricus in ſubſidium divini cultûs duos ſæculares Sacerdotes adlegere, quos iterum dimiſit, ubi nova Religioſa prole ac ſupplemento Conventum ac Monaſterium ſuum inſtauravit, quod magna cum laude præſtitit, ac poſt octennalem gubernationem

in

in Domino obdormivit 3. Martij an. 1574. non procul à D. Iddæ ſacello tumulatus.

XXXIX. Chriſtophorus Brunner huius nominis II. Roſchacenſis gubernationem capeſſivit an. 1574. 1. Aprilis. præfuit viginti annis cum inſigni commendatione Oeconomiæ, hoc ex eo patuit, quòd Monaſterium pluribus locis periculo ruinæ proximum vel reſtauraverit, vel novum ex fundamento erexerit. Monaſterio addidit turrim magnam, itidem ex fundamento novam, & magnas campanas in multam diſtantiam vocales ac ſonoras. Ipſe nonnullos Cænobij ſui Religioſos Fuldam ad ſtudia miſit: ipſe à Gregorio XIII. Pontificia obtinuit, primum quidem duntaxat pro ſua perſona, poſtea verò interceſſionem Sereniſſimi & Eminentiſſimi Principis Andreæ Archiducis Auſtriæ S. R. E. Cardinalis & Epiſcopi Conſtantienſis año 1593. etiam pro ſuis poſteris. Multa bona ac prœdia, quæ in cōmuni illa Religionis mutatione & invocatione per inimicam & violentam hæreſin à Monaſterio fuerant abalienata, ipſe ad patrimonium S. Benedicti reduxit. ipſe primarius auctor & inchoator eſt Inclytæ & multùm propagatæ Congregationis & Confraternitatis S. Iddæ Comitiſſæ. Denuo poſt plurima laudatiſſima opera etiam hunc præclarum Abbatem ordo moriendi tetigit 12. Junij an. 1594. Elatus eſt inter piorum lacrymas

magno

magno cum luctu ſuorum Religioſorum, qui verum Chriſtophorum in ipſo habebant, & agnoſcebant, cùm fortibus humeris ſuis non tantùm quemvis eorum in particulari, ſed totum Monaſterium toto gubernationis tempore portaverit egregiè, & Domum Dei ſuffulſerit præclarè.

XL. Jacobus III. cognomento Walckmeiſter Roſchacenſis ſucceſſit eodem anno 7. Julij. fuit brevis regiminis, nec admodum laudabilis & felicis. obijt an. 1598. 7. Ianuarij.

XLI. Benedictus Rennhas itidem Roſchacenſis electus eſt à morte Jacobi eodem adhuc menſe die vigeſimo primo. Hic omni exceptione major Prælatus & antiſtes mirè Religioſam diſciplinam promovit, proprietatem, ſi quæ irrepſit, abrogavit, clauſuram reſtituit, cultum divinum amplivicavit, pari felicitate temporalia quoque tractavit, multa debita expunxit, atque diſſolvit, nonnullas graves controverſias Badenæ inſigni dexteritate in bonum Cænobij feliciter finijt ac terminavit. eluxit in hoc viro ſingularis prudentia & facundia, quæ ipſi apud præcipuos auctoritatem, apud ſubditos amorem ac venerationem conciliavit. Cùm ergo omnes ea ſpe & exſpectatione viverent, præclarum hunc Præſulem longiore vitâ utique digniſſimum providentiâ ſua, induſtria & virtute diutiùs profuturum & Monaſterium laudatiſſimè in

multos annos recturum, ecce tibi! in morbum incidit, & poſt ſexennalem gubernationem cum ſumma commendatione peractam plenus meritis communi legi ſatisfecit & mortuus eſt 25. Auguſti anno 1604. in ipſo D. Iddæ ſacello honorificè ſepultus. Mortuum ſubditi amaris lacrymis deplorârunt, & pium oculorum ſuorum imbrem ſepulchro affuderunt.

XLII. Mathias Stehelin Fiſchingenſis ſucceſſit eodem anno, gubernavit annis duodecim. Ipſe ornatu templum inſtruxit, & magnum organum fieri curavit. quia verò in Oeconomia non uſque adeò felix & expertus erat, eò benevolè perſuaſus eſt, ut gubernationem poneret, quod & lubens fecit an. 1616. Vixit poſtmodùm tanquam privatus in Monaſterio ipſos viginti annos. obijt anno Chriſti 1636. 25. Iunij.

XLIII. Placidus Brunſchwiler ex Sirnach oriundus in Abbatem electus eſt, fauſtiſſimo omine, quia Mariano, in Octava B. Virg. Natæ 1616. Conventuales tunc numerabat decem, reliquit in die ſui obitûs poſt ſe viginti ſex. Vir hic ſanè præclariſſimus & de Monaſterio optimè meritus uti virtute Anteceſſoribus ſuis ſuppar, ita omnes reliquos longævitate & ſpatio regendi ſuperavit: annos námque 56. in gubernatione Monaſterij exegit Religioſus Neſtor. Poſteaquam autem extremo ſenio,

&

& plurimis laboribus Dei causâ ſuſceptis fractus, in dies viribus magis ac magis deficere, ac debilitari ſe ſenſit, abbatiam liberè ac ſpontè reſignavit feſto eiuſdem Virginis Natæ 8. Septembris an. 1672. qui paulò poſt videlicet 1. Octobris pientiſſimè ac placidiſſimè obdormivit in Domino anno memorato 1672. ætatis ſuæ año octogeſimo tertio. Obitus eius incidit in profeſtum SS. Roſarij, cujus ipſe tantus amator, támque ſolers promotor fuit, ut utramqueConfraternitatem SS. Roſarij & ſacri Scapularis cum menſtruis Proceſſionibus ad ſingularem Monaſterij noſtri ornatum & decôrem, ſubditorum verò Monaſterij & circumjacentium accolarum præſentiſſimam utilitatem Fiſchingæ inſtituerit, ob quæ & alia præclarè geſta, cogitata, & ſtrenuè executioni mandata (de quibus paulo pòſt dicetur) incomparabilis hic Abbas verè Fundator præcipuus Monaſterij noſtri vocari poteſt, dignus omni elogio, quod in virum excellentis virtutis & prudentiæ cadere poteſt.

Sinam ergo de tanto taliquе viro potiùs ſcribere ac loqui Reverendiſſimum & Ampliſſ. DD. Abbatem Joachimum tum Prioré, nunc verò meritiſſimum eius Succeſſorem, qui in vita S. Iddæ, quam typis vulgavit anno 1667. breviter quidem, ſed verè, & compendio multa complecti volens in hæc verba ſcripſit ex Germanico in Latinum translata: Regit hoc tem-

tempore Monaſterium ipſis 51. annis laudabiliter & præclarè Abbas Placidus, de quo, ut os alienum potiùs ipſum laudet, dicere poſſunt, & habent, quod in ipſo celebrent, qui non tantùm virum præſtantiſſimum nôrunt & ſtatum Monaſterij, qualis ante 50. annos fuerit, verùm etiam accepta interea incrementa, quæ omnia in gloriam tanti viri redundant: nam ipſius indefeſsâ ſolertia, diligẽtia ac vigilantia hæc Domus Dei tam in Bonis ſpiritualibus, quàm temporalibus, tam numero Religioſorum, quàm diſciplina & exercitio cultûs Divini mirùm quantùm profecit. Pluribus vicibus ſuos Religioſos ad ſtudia miſit, à quibus poſtmodùm tam Philoſophia, quàm Theologia publicè fuit prælecta. Emit dominium Spiegelbergenſe, & multa alia præclara prædia ac Bona. Supellectilem ſacram, Bibliothecam & Urbarium plurimùm auxit. Propter Religionem, quæ inſtar pupillæ oculi, ipſi erat pretioſa & chara, propter Monaſterium, quod tenerè diligebat, multos labores ſuſtinuit, moleſtias devoravit, plurimas item cauſas civiles feliciter tractavit, expedivit, abſolvit.

Anno 1666. 4. Octobris, anno videlicet Sacerdotij ſui quinquageſimo ſecundo publicũ Sancti hujus & Regalis ſtatûs Jubilæum ſive ſecundam Miſſam coràm ingenti confluentium mortalium copia ac multitudine ſub dio

celebravit ſolennitate,quantum fieri poterat, feſtiviſſimâ. Præſentes tam extraordinariæ lætitiæ aderant Reverendiſſimi & Ampliſſimi in Chriſto Patres, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Princeps ac D.D. Gallus Abbas ad S.Gallum, Illuſtriſs. & Reverendiſs. Princeps Placidus Abbas Eremi, Reverendiſs. D. Egidius Abbas Murenſis, Reverendiſſ. Bernardus Rhenovienſis, Reverendiſſ. Ignatius Engelbergenſis(à prandio hic ad comœdiam adventabat) Reverendiſſ. Fintanus Beinwilenſis Abbas. Præfatus Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. Princeps S. Galli cum Reverendiſſimo Murenſi in hac ſolenni & Jubilæa Miſſa officio Archidiaconorum fungebátur, Reverendiſſ. & Illuſtriſs. Abbas & Princeps Einſidlenſis Presbyter erat Aſſiſtens. Reliqui Reverendiſſimi DD. Abbates Pontificalibus induti aſſiſtebant. quæ ſanè pompa uti rara fuit tot Infulatorum capitum, ita ad pietatem tenera & ad æſtimationem Eccleſiæ ac fidei orthodoxæ præclara.

Illo ipſo etiam ſacerrimo die celebrata Fiſchingæ eſt Translatio trium SS. Corporum Glorioſorum MM. Romanorum Demetrij, Peregrini, Cæciliæ, & aliarum notabilium Reliquiarum, aliorúmque Romanorum Chriſti Martyrum cum duplici antè-& pomeridiana exhibita actione Comica. Sicque dies illa ſolennitatis & lætitiæ duplici quoque jucunditate,

tate, pompa & plauſu inter fauſtas acclamationes celebrata eſt. A primo ergo ad ultimum de laudatiſſimo hoc Abbate vera comprobata eſſe cenſeo verba illa Jeremiæ 11. v. 16. Olivam uberem, fructiferam, ſpecioſam vocavit Nomen tuum. & illa Iob. cap. 5. v. 26. ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo.

Quoniam verò tanta ſunt Viri huius undequaque magni in nos merita, ſtatuimus omnino, ſine cujusquam invidia optimum Parentem ſingulari vitæ & mortis Elogio, elegantiore ſtylo conſcripto hoc loco honorare.

Elogium vitæ ac mortis Reverendiſsimi Abbatis Placidi.

Adeſte virtutis Amatores
Ad magni cuiuſdam viri prodigium.
PLACIDUS *is eſt*
Fiſchingenſium Abbas.
Satis dixi, ubi PLACIDUM *nominavi:*
Nunquam aliàs ſpecioſum Nomen
Meliùs convênit cum ſua re nominata.
Omnia in ipſo erant PLACITA *Deo & hominibus,*
Quia erat PLACIDUS
Naturâ, ingenio, virtute.
Creatus Abbas eſt ipsâ Octavâ B. Virginis NATÆ,
Ut videretur tantæ dignitati non ſolùm APTUS,
Verùm etiam NATUS:
ET
Re verâ talem fuiſſe,
Præclara facta teſtantur,
Quibus gubernationem ſuam illuſtravit.
Monaſterium inprimis auxit virtutibus,
Amplificavit reditibus & opibus,
Ut perinde bonum ABBATEM *ſe probaret, ac* OECONOMUM.
Auxit etiam Religioſarum numerum Perſonarũ:
Nam,
Quando dignitatem adiit,
Non niſi decem Religioſos Profeſſos invênit,

Moriens reliquit viginti ſex:
Prudens in ædificāda Domo Dei ACRHITECTVS *fuit;*
Erat ſolicitus de VIVIS LAPIDIBVS,
Multiplicavit gentem, ut magnificaret lætitiam.
SS. ROSARII *Confraternitatem Fiſchingæ inſtituit,*
Gnarus,
ROSAS *nullibi feliciùs creſcere,*
Nuſpiàm fragrare meliùs,
Quàm in SPINIS *S. Benedicti,*
In quibus Divus Patriarcha olim ſe volutavit.
Roſarii Congregationi
Iunxit Confraternitatem ſancti SCAPVLARIS;
Credebat enim, has duas Congregationes eſſe ſorores,
Et ideò ſeparandas non cenſuit.
Supellectilem ſacram mirificè auxit in templo:
Rectè Oeconomiam ſuam incepit à Domo Dei.
Auxit & BIBLIOTHECAM;
Rectè:
Nam ipſe VIVVS LIBER *erat,*
Et MAGNVS TOMVS *virtutum,*
In quo pietatem omnes legebant,
Quotquot virum intuebantur.
Miſit Cænobîtas ſuos aliò ad ſtudia,
Vt non tantùm pios, ſed etiam doctos haberet Religioſos;
Miſit PROFESSOS,
Recepit PROFESSORES *Theologiæ & Philoſophiæ.*
CAVSAS *quaſdā* CIVILES, *& exortas controverſias*
Tractavit proſperè, finivit pro Monaſterio feliciter,
Quia perinde ORARE *ſciebat in templo, ac* PERORARE
in Curia,

Oſtendit ſe bonum RECTOREM & RHETOREM,
Perſuaſit facilè, quia exemplo docuit.
Providus Paterfamilias emit DOMINIVM SPIEGEL-
BERGENSE,
Ne deeſſet poſteris MAGNVM SPECVLVM
EXEMPLORVM
Oeconomiæ & Virtutis.
Diſciplinæ Religioſæ uti amantiſſimus,
Ita fuit eiuſdem tenaciſſimus;
Sciebat nimirum,
Bonum Superiorem decere Recti eſſe tenacem.
Totus Cæleſtis hic vir pendebat ex Deo,
Ab illo verò homines,
Quoties loquentem audiebant.
Hiſce, aliiſque virtutibus à bono Deo meritus eſt,
Vt ad extremam Senectutem perveniret.
Octoginta tres annos vixit,
Sibi diu, aliis parum;
Nam denuo juvenem optabant,
Vt longius frui poſſent:
Omnes ſuos Religioſos ætate ſupergreſſus
Duas Perſonas coniunxit in una,
DIGNITATE Abbatis cæteris PRÆPOSITVS
ÆTATE fuit omnium ſuorum DECANVS,
Quia ANTIQVISSIMVS:
Ita non tantùm ADOLEVIT in virtute,
Verùm etiam SENVIT.
IVBILÆVS exinde Sacerdos ſecundā ſuam Miſsā dixit,
Et quidem ſub DIO ac LIBERO AËRE,
Vt eò meliùs RESPIRARET à laboribus,
Et

Et ASPIRARET *ad Cælum ;*
CELEBRAVIT *hoc modo ſine omni* IMPEDIMENTO
Etiam OBSTANTIS ÆDIFICII.
Dixi , Optimum Senem Miſſam DIXISSE *ſecundam :*
Erravi ;
Non DIXIT *Miſſam , ſed* CECINIT :
CYGNI *enim , cùm ſeneſcunt ,* CANVNT.
In hac ſua ſolennitate PLACIDVS
Reverendiſſimos & Illuſtriſſimos Principes
Archidiaconos & Aſſiſtentes habuit ,
Ceu totidẽ terreſtres ANGELOS EX SVPREMO CHORO.
Nimirũ volupe eſt ANGELIS *Sacerdoti ad aram* MINISTRARE.
Hoc Privilegium magnæ virtutis eſt ,
Vt ei etiam Angeli ſerviant ;
Hæc prærogativa ætatis ,
Vt ei homines aſſurgant.
Celebratũ eſt hoc Iubilæum cum jucunditate & lætitia :
Quid nî enim IVBILÆVM *deceant ſacri* IVBILI ?
Sed jam terminus & vitæ finis Optimi ſenis
Elogium ſibi petit.
Adeſte iteratò ſanctæ animæ , & attendite ,
Quæ hæc auditis , vel legitis.
Motus in fine velocior eſt ,
Etiam Sanctitatis.
Adeò ſenex factus eſt PLACIDVS,
Vt ipſi ſenectus tranſiret in morbum ;
Quare dignitatem RESIGNAVIT :
Sciebat ,

SENES IN FERENDIS ONERIBVS ESSE
SVBLEVANDOS.

Reſignationem fecit ipſo NATÆ *Virginis feſto;*
Nullo die aptiùs honori ſuo DENASCI *poterat,*
Quàm feſto VIRGINIS NATÆ.
Non multò pòſt
PLACIDE *obdormivit in Domino:*
Nempe non tantùm in vita;
Sed & in morte probavit, ſe fuiſſe PLACIDVM.
Mors tanti viri incidit in PRIMVM *Octobris,*
Vt PRIMVS *dies menſis* VLTIMVS *eſſet vitæ:*
Menſe OCTOBRIS *mortuus eſt:*
Nimirum MATVRVS *Cælo erat hic* BOTRVS,
VINDEMIARI *à morte hoc menſe debuit:*
Etiam S. PLACIDVS *Divi Benedicti diſcipulus,*
RVBICVNDVS ILLE BOTRVS
Per glorioſum Martyrium
Initio Octobris VINDEMIATVS *eſt.*
Quod Myſterio non caret,
In ipſo Profeſto & pervigilio SS. ROSARII
Obiit PLACIDVS.
Nimirum ROSARIVM *tranſiit ipſi in* CORONAM,
Non quam deinceps oraret,
Sed capiti imponeret.
Tu viator
Ad tumulum magni huius viri ſubſiſte,
Mortuo bene precare,
Et noli PLACIDVM PLACIDE HIC DORMIEN-(TEM
Ante ſupremæ illius tubæ ſonum
E PLACIDO SOMNO *excitare.*

XLIV.

XLIV. Joachimus Seiler Wilenſis Modernus Abbas. Altera ſtatim poſt Placidi reſignationem luce 9. Septembris anno 1672. præſentibus Illuſtriſſimo Domino Odoardo Cybo Nuntio Apoſtolico &c. Illuſtriſſimo item Principe, ac Domino Gallo Monaſterij ad S. Gallum Abbate, nec non Reverendiſſimis Dominis Fridolino Murenſis, & Bernardo Rhenovienſis Monaſterij Abbatibus in Prælatum electus fuit, poſteaquam ſub placido Anteceſſoris regimine Priorem egerat, & pluribus annis varijs Ordinis muneribus præclarè functus fuerat. Theologiam Scholaſticam binis antehac vicibus publicè ſumma cum laude profeſſus. Electione factâ non multò poſt, videlicet 3. Novembris in Feſto Divæ noſtræ Domeſticæ, S. Comitiſſæ Iddæ à Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino D. Georgio Sigismundo Heliopolis Epiſcopo, Suffraganeo Conſtantienſi ritè ac ſolemniter conſecratus, & inauguratus fuit. Quæ deinceps laudanda egit, agitque etiamnum, cùm decretum Sacræ Scripturæ laudē cuiusq; hominis dum adhuc in vivis eſt ſeriò prohibeat, poſteris comēmoranda relinquo. DEUS Opt. Max. dignetur tantum Præſulē, quàm diutiſſimè Monaſterio ſuo ſervare incolumem, ut plurimis adhuc añis, ſub paternis ejus ſcapulis & peñis delitеſcere, ac benè ſperare poſſimus. Ita vovemus ōnes, & Deum vitæ, ac mortis Dominum impenſiſſimè precamur, obſecramus.

CAPUT XXVII.

Inſtitutio Inclytæ Confraternitatis S. Iddæ in Eccleſia Fiſchingenſi, ejus approbatio, & propagatio.

HÆc Confraternitas circa Annum Chriſti 1580. initium ſumpſit in Fiſchingenſi Monaſterio & Eccleſia, ac 27. Iunij ejusdem anni confirmata eſt ab Eminentiſſimo Principe & Cardinali S. R. E. Marco Sittico Archiepiſcopo Salisburgenſi, & Epiſcopo Conſtantienſi. poſtea verò Anno 1617. Paulus V. Pontifex Maximus eam præclaris Indulgentijs exornaavit, quæ infra appoſitæ legi poſſunt.

Quantumvis ergo hæc Inclyta Congregatio tam in bonum vivorum, quàm Mortuorum intenta & ordinata ſit, præcipuè tamen eò ſpectat, ut defunctis bene conſultum ſit. quare præter Miſſas & orationes in Statutis præſcriptas, ſingulis annis præclarum Solenne Anniverſarium cum duplici officio, pluribus Sacris, vigilijs, oblationibus, concionibus & alijs Sacris ritibus ad diem Lunæ poſt feſtum Nativitatis B. Mariæ Virginis celebratur, confluẽtibus item pauperibus ex ærario hujus ipſius Cõgregationis honeſta eleemoſyna diſtribuitur. Præterea curat hæc Cõfraternitas per certum Sacerdotẽ ſingulis ſeptimanis per annum unũ Sacrum legi pro õnibus vivis ac defunctis

Con-

Confratribus ac Sororibus. pari ratione ſingulis menſibus anniverſarium celebratur cum quatuor Miſſis ac Sacrificijs, ea intentione lectis. Et hæc ipſa cauſa eſt, præter alias, cur ab opulentis perſonis, qui huic Congregationi nomen ſuum inſcribi ſinunt, unus florenus exigatur, vel ſponte pendatur; quantum autem â tenuioris fortunæ hominibus ſive ij perſonæ ſint Eccleſiaſticæ, ſive Laicæ, ſumendum ſit, Congregatio diſcretioni ac Moderationi Præſidum & Curatorum relinquendum prudenter cenſuit.

Summarium Conſtitutionum, ſeu ſtatutorum hujus Confraternitatis.

Pro Sacerdotibus.

1. SAcerdotes tempore Inſcriptionis ſuæ legant unum Sacrum, &, ubi & quantum ipſis poſſibile eſt, unum florenum pendant. 2. Singulis menſibus ijdem pro vivis & defunctis ſemel miſſam legant. 3. Pro omnibus Sacerdotibus ex gremio huius Congregationis defunctis, ubi mortem intellexerint, itidẽ ſemel ad aram faciant, reliquorum autem defunctorum, non Sacerdotum, in ſacris ſuis memento faciant. 4. Ipſo ſolenni Anniverſarij die Lunæ poſt Nativitatem B. Virginis omnes ſtudeant Fiſchingæ comparere. quòd ſi verò id fieri nequeat, domi Miſſam legant, & Intentionem debitè applicent. *Pro-*

Pro non Sacerdotibus.

QUi Sacerdotes non ſunt, has leges ſervẽt: 1. Die inſcriptionis ſuæ unum Roſarium orent, & quantum poſſibilitas permittit, unũ florenum pendant. 2. Singulis Angarijs, ſeu quatuor temporibus itidem unum Roſarium orent. 3. Pro quovis defuncto Confratre Sacerdote ter quinquies orationem Dominicã, & Salutationem Angelicam cum Symbolo Apoſtolico recitent. 4. Pro reliquis defunctis non Sacerdotibus quinquies orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam recitent, cum adjuncto Symbolo Apoſtolorum. quòd ſi verò nullam eorum defunctorum notitiam habere poſſint, ideò ſingulis menſibus pro ijſdem recitent unum Roſarium ſeu coronam Beatiſſ. Virginis. 5. Studeant omnes in ſolenni Anniverſario die Lunæ poſt Nativitatem Beatiſſimæ Virginis Fiſchingæ comparere, quòd ſi verò impediti forent, domi Roſarium recitent.

Pro Sanctimonialibus ſeu Religioſis mulieribus.

HÆ præter enarratas orationes ſingulis menſibus ſemel orare non graventur ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.

Sum-

Summa Indulgentiarum Pontificiarum.

PLenarias Indulgentias conſequuntur 1. illi, qui die Inſcriptionis ſuæ ritè confitentur & communicant. 2. Qui in feſto S. Iddæ 3. Novemb. dicta Sacramenta percipiunt, templum Fiſchingenſe viſitant & ibi ad ſacræ Catholicæ Eccleſiæ augmentum &c. devotè orant. 3. Qui in articulo mortis confitentur, &, ſi poſſunt, communicant & Sanctiſſimum Nomen JESU ore, & ſi ore ac linguâ non poſſunt, ſaltem corde invocant & pronunciant.

Septem annorum Indulgentias & totidem Quadragenas conſequuntur ij, qui uno ex infra poſitis feſtis confitentur & communicant, Eccleſiam Fiſchingenſem viſitant & modo ſupra dicto orant. Dies autem aſſignati ſunt ſequentes: Nativitas Domini, Penteco ſte, Aſſumptio B. Virginis, feſtum OO. SS.

Sexaginta dierum Indulgentiæ conceduntur ijs, 1. qui die Congregationis ſeu Conventûs interſunt rei divinæ. 2. Qui ſacrum Viaticum ad ægrum deportatum comitantur, aut curant, ut alij comitentur quacunque occaſione illud tandem Venerabile Sacramentum deportetur. 3. Qui pauperes peregrinos ſuſcipiunt. 4. Qui inter inimicos pacem conciliant. 5. Qui aberrantem oviculam

lam in viam ſalutis reducunt atque convertunt. 5. Qui ignorantes viam ſalutis docent & in neceſſarijs inſtruunt. 7. Qui pro defunctis ex Confraternitate quinquies Pater & Ave recitant.

De Indulgentijs ab Epiſcopo huic Congregationi conceſſis alibi in peculiari ſodalitatis libello mentio ſit.

Devota Oratio ad S. Comitiſſam D. Iddam.

SAlve ô Beata & electa Mater, S. Idda, ſalve ô ſolatioſum ſpeculum afflictarum mentium, ſalve fidelis Patrona omnium eorum, qui filiali fiduciâ ad te confugiunt. Te Bonus & fidelis Deus ab æterno pro ſua ſingulari famula elegit præ millibus: ipſe paterna ſua manu in crudeli tua præcipitatione te ſervavit incolumem: ipſe radioſâ ſua gratia animum tuum colluſtravit, & charitate ſua cor tuum ſuccendit, ideò mundum & vana eius gaudia deſeruiſti, & forti ac heroico animo omne tuum ſolatium, ſpem & rem, amorem & deſiderium in ſolo Deo collocâſti, & in auſteriſſimo vivendi genere inter tot ac tantas moleſtias & tentationes ſatanæ in vera ac ſolida patientia perſeverantiæ donum obtinuiſti, donec Deus virtutis tuæ præmiator in ſuum æternum regnum te aſſumpſit, in quo Sanctiſſimam Trinitatem ineffabili dulcedine jam non in ſpeculo, ſed clarè & in æternum intueris.

ris. Quare, O inclyta Patrona, obſecro te, per amorem Domini noſtri JESU Chriſti, dilecti ſponſi tui, impetra mihi ab ipſo Sanctum quoddam lumen, & unà cor contritum & humiliatum, ut omnia peccata mea clarè cognoſcere, ac per veram pœnitentiã ritè deponere valeam. impetra mihi gratiam, ut juxta ſanctum exemplum tuum immiſſas mihi cruces de manu Domini patiente animo ſuſcipere, & in vera ſanctâque fide, in firma ſpe & ſancta charitate ad ultimum uſque ſpiritum perſeverare valeam, ut poſt iſtam lacrymarum vallẽ tecum & cum Electis omnibus Deum intueri, eúmque laudare, amare, & in æternum celebrare valeam. Amen.

Qnia ab aliquo tempore à diverſis perſonis requiſitus fui, ut ipſis communicare non gravarer Lectiones II. Nocturni pro feſto S. Iddæ, idcirco conſultum putavi, eas hic apponere, ut beneficio præli omnibus eas petentibus ad manus forent. Vnuſquiſque ſciet eas pro placito ſuo dividere, & tres vel quatuor ex eis conficere, prout ratio Breviarii ipſius, quod orat, exiget.

Lectiones de S. Idda Comitiſſa.

IDda in Suevia ex Comitibus Kirchbergenſibus oriunda, Henrico Comiti Tockenburgi cùm nupſiſſet, lapſu temporis Mundum muliebrem ad ſolem editiori loco arcis Tockenburgi expoſuit, inter quæ etiam annulum, quem arrhæ nomine Henricus Comes dederat. Corvus autem annulum roſtro cùm ſublegiſſet & in ſubjectam arci vallem avolando, nido intuliſſet, venator Comitis crocitantes inter corvi

illius

illius pullos in ſumma abiete annulum nactus digito inſeruit; quem cùm in aula ambitioſiùs deinde circumferret, æmulorum animos concitavit, eò uſque, ut apud Comitem nefandæ cum domina conſuetudinis inſimularent,

Quam ob rem furore percitus Comes calcitroſi equi caudæ alligatum per præcipitia, ſtipites, & Saxa infelicem ſervum diſcerpſit, & mox Iddam innocentem ac Religioſam conjugem ex ſumma arce ad ima quadringentis cubitis præcipitem egit. Sed Deus integram & illæſam mirabiliter conſervavit.

Deo igitur ſervatori gratias Idda humi fuſa cùm egiſſet, eíque ſe, ac ſua omnia prona devoviſſet, manu, ut licuit, ſua tuguriolum in ſolitudine præparavit, radicibúſque & limpidis eremi fontibus vitam ſuſtentavit. Demum verò poſt aliquot annos per venatorem alium, divinitùs fortè detecta & Comiti indicata, ab eodem Comite ingenti lacrymarum vî & gaudio denuò ſalutata, conjugalem vitam, quantumvis Comes ipſe rogitaret, IESU Chriſti amore prorſus reſpuit, ac contempſit. Mutato tamen domicilio non procul à Fiſchingenſibus Cænobijs Deiparæ Virginis fanum coluit, & ſummis vitæ rigoribus complures annos ſanctiſſimè cùm exigeret, malignorum ſpirituum horrendas ſæpe inſidias fortiter ſuperavit.

Iam verò cùm nocturnas etiam preces ad jam dictum Cænobium Fiſchingenſe, frequentaret, Cervus in Cornibus duodecim luminaria præferre ſolitus, eam quotidie mille quaſi paſſibus duxit & reduxit. Senio autem confecta cùm ſacrarum Virginum alterum ſcilicet Cænobium Fiſchingæ fuiſſet ingreſſa, ſemélq; ſpiritualibus exercitijs pervigil ipſa incumberet, Diabolus lumen ei extinxit. At illa protenſo per feneſtellam cereo, mortuum de cemiterio inclamavit, & lumen petijt. Illicò adeſt mortuus, & lumen, inquit, accipe; Tockenburgus ſum genere. dixit, & accenſo cereo requievit. Idda verò diebus ſuis omnibus ſanctiſſimè demum expletis, multis miraculis clara die 3. Novembris in Cælum abijt & apud D. Benedicti Monachos in Cænobio ſæpe dicto Fiſchingenſi ſepulta fuit.

FINIS.

ROMA

INDEX CAPITUM.

Cap. 1. *Iddæ proſapia, prima ætas & deſponſatio.*
Cap. 2. *Iddæ matrimonium & ſtatus Coniugalis.*
Cap. 3. *Periculum Iddæ ex jactura annuli Nuptialis.*
Cap. 4. *Raptus à Corvo Nuptialis annulus à venatore inventus.*
Cap. 5. *Annulus Nuptialis in digito venatoris agnitus. ſecuta exinde miſeri hominis tragica mors.*
Cap. 6. *Idda innocens ab Henrico Coniuge ſublimi ex arce Tockenburgica in ſubjectam voraginem præcipitata, à Deo innocentiæ patrono incolumis ſervatur.*
Cap. 7. *B. Idda ex caſu ſalva & incolumis. Vita eius ſolitaria & ſacra eremus.*
Cap. 8. *Opinio & ſententia domeſticorum de præcipitata Idda.*
Cap. 9. *Solitaria caſa à B. Idda in eremo exſtructa.*

Cap. 10. *B. Iddæ auſtera vita in eremo ducta.*
Cap. 11. *Idda in ſilva à venatore inventa.*
Cap. 12. *Idda à Comite Henrico in ſolitudine viſitata, & data venia Marito reconciliata.*
Cap. 13. *Exſtructum Iddæ in Augia domicilium, & proſecutio vitæ ſolitariæ.*
Cap. 14. *Cervus duodecim lucernis illuſtris B. Iddæ ad templum prodigioſus ductor, & de nocte lucifer.*
Cap. 15. *B. Iddæ ſeceſſus in privatam cellam, & voluntaria incluſio. Vita eiuſdem inibi Fiſchingæ ſanctiſsimè acta.*
Cap. 16. *Moleſtiæ B. Iddæ à Diabolo inflictæ. Lucerna à Satana ipſi extincta, & à mortuo quodam prodigioſè reaccenſa.*
Cap. 17. *Obitus Iddæ, & ſepultura B. Matronæ.*
Cap. 18. *Quædam miracula ad Iddæ tumulum perpetrata, eiúſque cultus publicus.*
Cap. 19. *Translatio Corporis S. Iddæ, & de miraculo Sacri eius Capitis ſcitu memorabilia.*
Cap. 20. *Nobiliora quædam miracula ad interceſsionem S. Iddæ perpetrata.*
Cap. 21. *Salutaris vis exempli B. Iddæ, quo multi alij mortalium ad amplectendum Religioſum ſtatum fuere permoti.*

Cap.

Cap. 22. *Salutaria documenta ex præſenti Hiſtoria & vita S. Iddæ deprompta.*
Cap. 23. *Hiſtoria S. Iddæ Epico Carmine deſcripta.*
Cap. 24. *Origo Inclyti Comitatûs Tockenburgici: cum Genealogia Comitum Tockenburgicorum.*
Cap. 25. *Genealogia Comitum Kirchbergenſiũ.*
Cap. 26. *Origo, propagatio & ſtatus Inclyti Monaſterij Fiſchingenſis, uti & ſucceſsio & Nomina Abbatum, qui hactenus ibidem præfuerunt.*
Cap. 27. *Inſtitutio Inclytæ Confraternitatis S. Iddæ in Eccleſia Fiſchingenſi, ejus approbatio, & propagatio.*

Omnia ad majorem DEI Gloriam.

BIBLIOTECA